



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. IX. Vtrùm rigida sententia repugnet illi textui Sacræ Scripturæ,  
Iugum meum suave est?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)



fatio in particulari reddi possit practice probabili-  
 or, si in universali, speculative loquendo, sit  
 probabilis Papam absolute carere tali potestate  
 pro omnibus circumstantiis. Itaque haec dubie  
 nulla est hæc Celladei responsio; idque non so-  
 lum juxta rei veritatem, sed etiam consequenter  
 ad illius doctrinam, quia ille tum in hæc quæst. tum  
 alibi expressè docet, quod judicium practicum  
 particulare discrepare nequeat à speculativo seu  
 universali, (hoc enim se intelligere nomine ju-  
 dicii practici & speculativi expressè declarat) nisi  
 adsint rationes & circumstantiæ novæ, quæ in ju-  
 dicio universali formando non erant consideratæ  
 & rejectæ. At omnia è contrario se habent in ca-  
 su præsentis. Ergo, juxta Celladei doctrinam,  
 Pontifices in datâ suppositione sequuti sunt opi-  
 nionem practice minùs probabilem, minùsque  
 tutam. Quòd si res hæc non directè sed reflexè  
 consideretur, & quærat, non quid valide fiat,  
 sed quid, stante opinione directè enuncian-  
 tium diversitate, Pontificibus liceat, utique as-  
 sero, probabilis illis fuisse, se licitè dispensasse;  
 verum eadem rationes reflexæ æquè procedunt  
 de omni opinione probabilis directæ minùs tutæ,  
 nec Celladeus contrarium perluadere poterit;

Pontifices  
 habuerunt  
 majore pro-  
 bilitatem  
 reflexam,  
 quod dispe-  
 satio esset  
 licita.

donec aliquid in particulari attulerit, vi cujus  
 ostendat, Pontifices habuisse aliquid peculiare  
 talibus materiis appropriatum, quod aliis appli-  
 cari nequit. Præterea ex historica narratione ha-  
 rum dispensationum, quam quæst. 22. de conscientia  
 probabili, num. 85. & seq. relata habes, constat  
 nullas ejusmodi circumstantias peculiare inter-  
 venisse. Fucum ergo facit Celladeus, dum nullâ  
 probatione allatâ sub terminis generalibus dicit  
 oppositum contigisse.

30. Et sanè hoc argumentum, à praxi ac Do-  
 ctrinâ Romanorum Pontificum desumptum,  
 tam efficax est, ut illud solum benignæ sententiæ  
 veritatem prorsus evincat. Certè si talia pro sen-  
 tentiâ rigida afferrentur, ergo statim manus da-  
 rem, atque illi, veritate cogente, subscriberem.  
 Sed hoc indicasse sufficit, quia æquus Lector ex  
 ipsâ quæstionis hujus ponderatione id ipsum suf-  
 ficienter intelliget. Quòd si quis desideret videre  
 solutionem eorum, quæ alii ad eludendam Pon-  
 tificum praxim, nobis nimis apertè faventem,  
 attulerunt, adeat quæst. 22. de conscientia probabili,  
 ubi à num. 227. omnia ejusmodi collecta & solu-  
 ta inveniet.

## QUÆSTIO NONA.

*Virum rigida sententia repugnet illi textui Sacra Scripturæ,  
 Iugum meum suave est?*

### ASSERTIO PRIMA.



QUOD benigna sententia con-  
 formis sit Sacra Scripturæ, &  
 fundamentum in illâ habeat, la-  
 tere ostendi quæst. 25. de conscientia  
 probabili, ubi plures textus at-  
 tuli, & quæ in contrarium allata

fuertant dissolvi. Inter reliquos autem textus,  
 illum Matt. 11. versu 30. Iugum meum suave est, &  
 onus meum leve: ponderavi, & ex illo aliisque  
 idem exprimentibus communem sententiam sta-  
 bilivi. At Celladeus lib. 1. quæst. 2. vehementer  
 insurgit in eos, qui nituntur hoc textu, quod  
 idè se facere testatur, ut in exordio suæ disputa-  
 tionis removeat argumentum, quod in omnium  
 ore versatur, & ubique obrudatur. Itaque ut  
 hoc argumentum convellat, duo conatur ostend-  
 dere. Alterum est, legem Christianam, ejusque  
 facilitatem non à rebus præceptis, sed aliunde  
 esse sumendam. Alterum est, paradoxum prorsus  
 incredibile, & communi omnium experientia  
 contrarium, nempe benignam sententiam non  
 reddere Christi legem leviolem, sed eam efficere  
 longè graviolem, quàm eam reddat sententia  
 rigida. Quocirca ut paradoxum hoc falsitatis  
 convincatur, examinandum est, quæ & quanta  
 sit difficultas legis Christianæ, ex cujus quæstio-  
 nis determinatione apertè constabit, benignam  
 sententiam ex citato Sacra Scripturæ textu valide  
 comprobari. Sit ergo.

*Nil apud dici potest onus grave vel leve,  
 nisi prius determinetur status aliquis  
 virium, cum quibus onus com-  
 paratur.*

Nil est gra-  
 ve aut leve  
 nisi respectu  
 virium de-  
 terminatè  
 sumptarum.

2. PROBATUR. Onus grave & leve sunt de-  
 nominationes relativæ, non absolutæ;  
 nam pondus, quod puerum opprimit, viro ro-  
 busto est levissima sarcina. At denominationes  
 relativæ intelligi nequeunt, nisi fundamentum  
 quod refertur, & terminus ad quem refertur,  
 proponantur. Ergo nil apud dici potest onus gra-  
 ve vel leve, nisi vires determinentur, cum quibus  
 onus comparetur. Itaque impossibile est ritè in-  
 telligere ac determinare, utrum lex Christi sit  
 onus leve vel grave, nisi consideremus naturam  
 humanam in aliquo statu determinato, & conve-  
 niamus quænam sint vires naturæ in illo statu  
 consideratæ.

### ASSERTIO II.

*Stabilito statu natura, viribusque illi statui  
 convenientibus determinatis, gravitas le-  
 vis aliunde desumi non potest, quàm à re-  
 bus ipsis, quas lex prescribit.*

Stabilitis vi-  
 ribus natu-  
 ræ conve-  
 nientibus,  
 gravitas le-  
 vis à solis  
 rebus præ-  
 ceptis desu-  
 mitur.

3. PROBATUR. Quamdiu vires sumuntur in  
 mensurâ determinatâ, repugnat quidquam  
 esse grave aut leve respectu illarum, nisi denomi-  
 natio illa compleatur per res ipsas; quæ solæ res



sunt correlativæ ad vires in ordine ad hoc, ut respectu potentia, cum quâ comparantur, dicantur graves, vel leves. Sic onus leve respectu viri, potest esse grave respectu pueri. Idem valet in moralibus, ut patet. Quod enim ita comparatum est ad vires, ut absque magnâ difficultate feratur, dicitur onus leve; quidquid autem à viribus illis absque notabili conatu & labore ferri non potest, est & dicitur grave. Errat proinde Celladeus, dum ait, gravitatem ac levitatem legis Christianæ non à rebus ipsis, sed aliunde desumi. Errat, inquam, quia ut intelligibiliter uti possimus terminis istis, *grave & leve*, vires statui alicui convenientes determinandæ sunt. At, iis semel taxatis, gravitas & levitas non aliunde quàm à rebus desumi potest.

quas propendet, violenter privari, ab illis quasi camo & fræno retrahi, & in contrarium adactis, ut ita dicam, calcibus propelli, imò & cum concupiscentiis ipsis crucifigi, durum est carni & sanguini, ut patet. Quod certè verissimum est etiam in iis, qui fervore spiritus, ac superioris hominis robore hæc omnia parvi pendunt, & quodammodò pro nihilo reputant. Sed quia in talibus pars superior longè prævalet, ideo onus legis simpliciter evadit illis leve, quia cum dulcedine quâdam spirituali impletur, quamvis impletio illius carni ac sanguini, hominique inferiori sit valde dura ac molesta.

8. Porro, ut tam ista, quàm sequens affectio melius percipiatur, notandum est, præcepta legis Evangelicæ dupliciter sumi posse ac debere. Primò relatè ad difficultates, quæ per se juxta consuetum humanæ vitæ cursum interveniunt, omnesque etiam probos frequenter molestant. Secundò relatè ad difficultates extraordinarias, quæ solum per accidens eveniunt. Tales sunt difficultates à propriâ vel alienâ voluntate aut malitiâ provenientes. A propriâ malitiâ provenit, homines pravis habitibus debilitari, terrenarum voluptatum amore absorberi, atque sæpe etiam peccandi occasione illaqueari. Ab alienâ malitiâ homines sæpe gravissimis tentationibus urgentur. Quot omni virtutum laude conspicui, aut gravibus tormentis fracti, aut blando voluptatum lenocinio victi, primò pietatem, mox etiam fidem abjecerunt? Cæterùm difficultates istæ per accidens se habent ad legem Christianam, quia plurimi totam absque illis vitam transigunt, cum tamen nemò consuetas difficultates ac tentationes absque extraordinariâ Dei protectione evadere possit. Hæc ergo distinctione positâ. Sit.

Difficultas legis servanda, alia per se, alia per accidens.

ASSERTIO III.

*Propositum sit explicare, quibus lex Christiana sit dura & gravis, ac quibus prorsus importabilis.*

Lex Christiana superat vires naturæ lapsæ. 4. **I**MPRIMIS natura lapsa, sumpta secundum vires tali statui proprias, adeo debilis est, ut sit moraliter impotens ad totam legem naturalem diu servandam. Immo præ suâ debilitate nulli tentationi violentæ absque divinæ gratiæ auxilio resistere potest. Ergo à fortiori natura lapsa impotens est ad legem Christi servandam, utpote quæ, præter totam legem naturalem, involvit præcepta circa actus supernaturales, ad quos natura lapsa ex se est physicè impotens. Hæc certa sunt ex tractatu de necessitate gratiæ contra Pelagianos.

5. Secundò lex Christiana gravis est illis omnibus, etiam fidelibus, qui peccata peccatis addentes, absque Dei timore illicitis naturæ corruptæ desideriis se tradunt. His enim, tum ob pravum habitum contractum, tum ob carentiam uberis auxilii in penam peccatorum communiter indictam, admodum difficile est, non dico legem servare, sed vel ferè proponere se amplius non peccaturos. His adjungi debent omnes in proximâ peccandi occasione constituti, illis enim difficillimum est, & moraliter impossibile non labi, nisi extraordinariis gratiæ auxiliis roborentur.

6. Tertio. Lex Christiana, prout non solum præcepta sed etiam consilia complectitur, valde difficilis est illis, qui multum voluptatibus etiam licitis addicti sunt. Hisce voluptatibus magnâ ex parte privari debent, qui consilia sectantur. At sine dolore & magnâ difficultate non amittitur, quod cum amore possidetur. Unde homines ejusmodi prorsus inepti sunt ad consilia sectanda, nisi prius affectiones suas mutant, & animum à rebus caducis avocent. Porro quò magis aut minus fideles istiusmodi affectionibus gravati fuerint, eò tum præcepta tum consilia illis faciliora vel difficiliora evadunt.

7. Demum lex Christiana, maximè prout etiam consilia complectitur, est onus grave carni & sanguini, seu homini inferiori, quia ejus propensionibus in omnibus ferè contrariatur. An non durum est carni & sanguini voluptates omnes abjicere? Christum nudum sequi? Vitam omnem sub continuo mortificationis jugo transigere? *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitis & concupiscentiis.* teste Apostolo, ad Gal. 5. 24. At carnem voluptatibus, ad

Lex Christiana superat vires naturæ lapsæ.

Lex Christi gravis est omnibus qui vitis se dedunt.

Item iis, qui voluptatibus licitis valde addicti sunt.

Lex Christi gravis est homini inferiori, id est, carni & sanguini.

ASSERTIO IV.

*Lex Christiana, præcisè secundum se sumpta, est onus leve respectu fidelium, qui omnium virtutum, & potissimè perfectæ charitatis exercitio incumbunt. At, sumpta cum difficultatibus per accidens connexis, est onus valde grave, quod nullè præviâ virtutum exercitatione reddi potest leve.*

9. **P**ROBATUR. Prima pars est expressa mens Augustini multis in locis, quorum plures Celladeus benè expressit: non est opus loca afferre, tum quia de rei veritate constat, tum vel maximè quia omnes omnino SS. PP. & Theologi multici ita sentiunt. Præterea ratio id ipsum evincit, quia proprium est virtutes promptè & delectabiliter operari in rebus, ad quas virtutis motivum extenditur. Consonat etiam experientia, quia ferventes Christiani longè facilius ferunt jugum Christi, quàm qui eò solum collimant, ut mortalia peccata vitent. Ratio est, quia priores ob exercitium fidei peculiari claritate percipiunt, nil caducum esse amore dignum. Unde dum spe ad bona æterna anhelant, Deumque ferventer diligunt, omnia illis facilia videntur præ magnitudine tum amoris erga Deum, quem diligunt, tum præmii promissi, quod firmiter sperant. Si enim Jacob ob Rachelis amorem tam libenti animo septem annis duram servitutem servierit, ut viderentur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Gen. 22. 20. Quid mirum, si fervens æternorum,

Lex Christi per se loquendo, est onus leve fidelibus piè viventibus.



norum, maxime verò Dei ipsius super omnia amor, spesque firmissima æternæ beatitudinis omnes conſectas hujus vitæ difficultates pro nihilo reputet?

Lex eadem per accidens gravis est etiam ferventiſſimis.

10. Probatur ſecunda pars. Experienciâ nimis dolendâ conſtat, homines omni virtutum exercitio inſignes, tot ab alienâ malitiâ difficultates paſſos fuiſſe, ut illis, præ difficultate eas ſuperandi, ceſſerint. Talia ſunt bonis omnibus propter fidem aut alias virtutes ſpoliari, tormenta acerbiffima, ac martyria diuturna potiùs pati, quàm peccare, aut fidem vel apparenter negare. Quot ferventiſſimi Chriſtiani, longâ malorum perſeſione fracti, hoc ſæculo in Japoniâ ceci- derunt? Chriſtianitatem illam tanto fidei zelo, tantoque charitatis ardore toti mundo conſpi- cuam, quam prorsus inſuperabilem ſperabamus, graviffimâ diuturnæ perſeſionis mole obrutam fuiſſe, & jam quodammodo extinctam jacere in- gemiſcimus. Quod ſi aliqui ſteterint uſque ad lentam pœnoſiſſimamque mortem tolerandam, id ſingulariſſimo, longèque extraordinario gratiæ auxilio de novo conſeſſo, non facilitati ex fervore priſtino acquiſitæ tribuendum eſt. Et ſane Chriſtus ipſe, de diuturnâ ſævæ perſeſionis moleſtiâ loquens, aperit fatetur, eam eſſe mo- raliter inſupportabilem, niſi ſingulariſſimis præ- ſidiis homo ſolciatur. Quid enim aliud expreſſit, cum dixit *Matth. 24. 22. Niſi breviantur fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro; ſed propter electos breviabuntur dies illi.* Verùm difficultates iſtæ per accidens ſe habent ad legem ut patet. De illis ergo amplius agendum non eſt, quia per acci- dens ſe habent, & parum aut nil conducunt ad præſentem queſtionem, quæ procedit de diffi- cultate legis Chriſtianiæ per ſe acceptæ, ſeu de difficultate, quam ex ſe communiter aſſertit fide- libus, communibus gratiæ auxiliis roboratis. Interim hoc ſemper fixum in mente manere debet, quòd levitas oneris noſtri, nullatenus haberi aut intelligi poſſit, niſi per res præceptas cum viri- bus, quibus inſtruiſur, comparatas.

ASSERTIO V.

*Lex Chriſtiana per ſe ſumpta, ſi comparètur cum viribus juſtificarum, eſt onus moraliter portabile, & ſimpliciter loquendo leve.*

Lex Chriſti II. **P**ROBATUR ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. ubi hæc habentur. Nemo temerariâ illâ & à Patribus ſub anathemate prohibitiâ voce uti audeat, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia, nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. Qui enim ſunt Filii Dei Chriſtum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus, quod utique cum divino auxilio præ- ſtare poſſunt. Et infra, Deus namq. ſua gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur. Hinc ſic arguo. Hæc doctrina Concilii omnibus & ſingulis juſtis convenit. Ergo ſingulis dantur vires, quibus præcepta Dei ſunt moraliter por- tabilia, & onus ſimpliciter loquendo leve. Im- mò auxilia ſeu vires iſtiusmodi debentur illi ſta- tuti, ideoque juxta legem ordinariam negari non poſſunt. Alioquin Deus quodammodo dici poſ- ſet deſerere juſtum, antequam ab eo deſeretur.

Quomodo enim non aliquo modo deſereret ju- ſtum & amicum ſuum, ſi ipſe per ſe onus illi im- poneret, aut moraliter importabile, aut certè quòd abſque valde magnâ difficultate portari non poſſet?

12. Præterea: Concilium dâns rationem, cur juſti ſervare poſſint legem, non ſolum dicit mandata Dei non eſſe impoſſibilia, ſed expreſſe aſſertit, *illa non eſſe gravia. Sed onus leve.* Quia ſcilicet diligentibus Deum datur auxilium, quo onus illud terre poſſunt, & quidem abſque magnâ difficultate, alioquin onus eſſet grave. Hoc applicatur omnibus juſtis. Ergo ubi dicitur, ju- ſtos Chriſtum diligere, aut ſolum, aut principi- aliter ſermo eſt de dilectione habituali, quia plu- res juſtificantur per Sacramenta, abſque eò quòd Deum perfectâ charitate actuali diligant. Certè locus non poteſt intelligi de frequenti ac ferventi charitatis exercitio, quia nemo juſtificarum ſtatim ab initio ſuæ juſtificationis diu ac ferven- ter ſe in talibus actibus exercuit, multique longo tempore vivunt juſti, qui rarè talibus actibus ſe exercent. His tamen omnibus lex Chriſtiana non eſt gravis, ſed onus leve. Ergo Tridenti- num ſentit, levitatem oneris, quòd juſti portant, non à ſolo frequenti charitatis ac virtutum exer- citio, ſed aliunde haberi, quia mandata ab ipſo juſtificationis initio non ſunt gravia, ſed onus leve, alioquin Deus dilectis ſuis amicis ac filiis legem dediſſet, cujus obſervatio eſſet onus grave. Ergo mandata Dei eſſent ipſis juſtis ſimpliciter gravia, nec fierent levia, niſi poſtquam diu cum gemitu ac labore valde arduo ſervarentur. At hoc repugnat inſinitæ bonitati Dei, qui eſt amantiſ- ſimus Pater. Repugnat dicto illi Spiritûs ſancti, *1 Joan. 5. mandata ejus gravia non ſunt*, quòd vi- detur ſimpliciter intelligendum. Repugnat verbis Salvatoris dicentis, *onus meum leve.* Demum re- pugnat Tridentino, quòd univerſaliter loquitur de omnibus juſtis, cujus proinde doctrina ac de- finitio multis convenit, qui diu multumque in charitatis perfectæ exercitio nondum ſe exercue- runt. Errat ergo Celladeus, & his omnibus con- trariatur, dum ita aſſertit, levitatem legis Chri- ſtianiæ à frequenti charitatis exercitio dependere, ut eam à charitate habituali rarè operante, aliis- que virtutibus non diu multumque exercitatis ha- beri neget.

13. Demum illa Dei increpatio; quid eſt, quòd *debi ultra facere vinea mee, & non feci? Iſaia 5. 4.* aliaque ſimiles locutiones id ipſum ſuadent. Nõne incuriè ſatis coleretur, ille juſtus, illique manu parum liberali provideretur, qui mediis careret, ſine quibus abſque ingenti difficultate ſuam juſtitiam conſervare non poſſet. Profectò ſi aliter ſe res haberet, interrogationi illi respon- deri poſſet, viam ſalutis adeo juſtis complanari debuiffe, ut ſine magnâ difficultate per eam in- cedere abſque deviatione poſſent; legem dari debuiffe, quæ non ſolum non eſſet onus grave, ſi diu ferventerque portaretur, ut vult Celladeus, ſed quæ non eſſet onus grave, ut à juſtis porta- retur. Ergo via juſtorum ita de facto complanata fuit, atque lex illis data non ſolum eſt levis, ſi diu lubenterque portetur, ſed illa ipſa non eſt illis gravis, ut portetur, alioquin Chriſtus eos vocaſſet ad legem ſimpliciter illis valde gravem, & non ad libertatem. Cæterum in ſenſu Celladei lex Chriſti paucis valde eſſet onus leve, quia valde pauci frequenti illa ac ferventi charitatis, aliarumque virtutum praxi ſe exercent, quæ ta- men ad legem facilem reddendam per ipſum eſt neceſſa-



necessaria. At nec Christus talem legem vocasset onus leve, nec Apostolus unquam dixisset, legem ejusmodi non esse gravem, lex enim respectu Communitatis sumitur, quia ad illam refertur, cum eam obliget. Ergo lex falsè diceretur levis, si respectu communitatis esset gravis, imò gravissima, ut vult Cellæus, quamvis respectu paucorum, qui multo nisi gravitatem superassent, facta esset levis.

## ASSERTIO VI.

*Lex Christiana, omnibus fidelibus eam acceptantibus, simpliciter & per se loquendo levis est, sive justi sint, sive nondum justificati. Propositum autem sit explicare, in quo levis legis Christiana consistit, & à quo habeatur.*

Lex Christi simpliciter loquendo levis est omnibus fidelibus eam acceptantibus.

14. **P**ROBATUR primò ex dictis. Christus vocavit omnes ad legem, cujus onus leve est, & cujus præcepta simpliciter non sunt gravia. Ergo lex illa per se loquendo simpliciter talis est omnibus, qui eam per fidem acceptant, alioquin ipsi collum subdidissent legi simpliciter gravi, ac respectu virum illis datarum portatu difficili, quod auctoritatibus allatis repugnare videtur.

15. Probatur secundò. Illa lex est facilis, quæ præbet media facilia, quibus omnes difficultates communiter occurrentes facile superari possunt. Talis est lex Christiana omnibus fidelibus eam acceptantibus, quia exercitium fidei & spei non est difficile. Non fidei, quia teste Davide *1. sal. 92. 5. Testimonia Dei credibilia facta sunt nimis.* Non spei, quia arduum non est concupiscere beatitudinem, & abhorre ab aternâ miseria, quando fides certò proponit utramque per talia determinata media citra ingens incommodum obtineri posse, & sine illis non posse obtineri. Exercitium autem fidei & spei, omnia planè faciliat, quamvis non exercitibus se in illis ea appareant, & sit difficillima, aut etiam impossibilia. Patet hoc. Per fidem proponitur nobis, quod absque fugâ peccati, & virtutum exercitio non possumus æternam ac insupportabilem miseriam vitare, quòdque sine virtutum exercitio æternam beatitudinem consequi nemo possit, quam tamen infallibiliter consequetur, qui legem servat, vitando malum, & bonum prosequendo. Hoc modo certificati per fidem de magnitudine pænæ ac præmiâ aterni, quorum alterum ex necessitate inevitabili subundum est, facile est per spem ferri in bonum æternum, illudque nobis amare; in quo si hæreat quis, difficultatemque sentiat, est quia nondum se exercuit in fide, nec per fidem apprehendit ista ut inevitabilia. At, posito semel amore æternorum honorum, & odio malorum similiter perennium, alia omnia facilia evadunt. Quid difficilius in lege Christianâ, quam peccata homini confiteri? quam inimicos diligere? Ista tamen facilia sunt homini exercenti se in fide ac spe. Per fidem scimus, aliud peccatorum remedium non esse præter integram eorum Confessionem. Per fidem necessitas absoluta hujus remedii proponitur, nam damnandus est ad æterna supplicia, aternâque beatitudine privandus, quicumque hoc remedio uti noluerit. Similiter per fidem certò credimus, Deum nobis peccata nostra minimè condonaturum, nisi nos inimicis nostris offensas dimittamus, *Matth. 6. 15. Si non*

*dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Mercatori pecuniis inhianti difficillimum est merces gratis donare; fac tamen eum tempestate jactatum de vitâ certò periclitari, nisi navis onere mercium sublevetur; non amplius durum illi est merces in profundum ejicere, ipse primus est, qui manum admovet, quòque alios ad ipsum animat. Quod eò libentius facit, quò certius apprehendit, se hæc ratione evasurum, cum sciat altam viam se salvandi non superesse. Qui scit se inevitabiliter collocatum inter duo mala collectivè inevitabilia, facile amplectitur minus, si per hoc spes elucescat, & multo magis si certò sciat, hæc ratione majus malum esse evitandum. Evasio majoris mali dulcescere facit perpeffionem mali minoris. At fides certò proponit, nos in his ipsis circumstantiis versari, nam si peccata debite confessi fuerimus, remittet illa Deus, qui etiam promisit se peccata remissurum iis, qui hominibus condonant. *Dimittite, & dimittentur.* *Luce 6. 37.* clariùs & expressius idem traditur *Matth. 6. 14. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester celestis delicta vestra.* Itaque nec peccatorum Confessio, nec inimicorum dilectio difficilis esse potest illi, qui se in fide exercet; nil enim ex communiter occurrentibus ulli difficile est, sine quo scit æternam miseriam vitari non posse, & per quod firmiter tenet, se bonum incomparabiliter majus obtenturum. Augetur autem facilitas, si per spem talia bona se equenter amemus, & in eorum desiderio ac expectatione nos exercemus. Ergo lex Christiana levis est, cum facilia media præbeat, per quæ difficillima quæque facilitantur.

16. Probatur terciò. Ex sacrâ Scripturâ, quæ justorum vitam & victoriam fidei ac spei attribuit. *Iustus ex fide vivit Rom. 1. 17.* Universalis autem difficultatum victoria fidei tribuitur à S. Paulo *ad Hebr. 11.* incipiendo enim à fidei definitione, dicit illam esse *sperandarum substantiarum rerum argumentum non apparentium.* Et mox inductione factâ ab origine mundi expressè docet, Justos, in sacrâ Scripturâ memoratos, per fidem mirabilia & ardua virtutum opera perfecisse: & tandem à *versu 33.* post recapitulationem omnium Sanctorum antiquorum & Prophetarum, qui plurima passi sunt, sic concludit: *Per fidem vicierunt regna, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, exinixerunt impetum ignis, effugerunt arietem gladii, convalescerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, &c.* tum enarrat tormenta, quæ passi sunt, atque tandem concludit, *eos omnes testimonio fidei probatos fuisse.* Et sanè haud dubiè per claritatem ac firmitatem fidei bona majora proponentis fortitudinem ac robur acceperunt, atque etiam adepti sunt in plurimis magnam facilitatem & alacritatem.

17. Quòd si fidei certâ spes & amor æternorum accedat, mirum quàm facilia evadant objecta carni ac sanguini durissima. Christus ipse, teste Paulo *ad Hebr. 12. 2. proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Et sanè tantus est excessus bonorum æternorum, ut quidquid in hæc vitâ durum occurrit, momentaneum ac leve reputetur respectu futurorum bonorum, quæ parata sunt iis, qui hujus vitæ miseria patienter tolerant. Audi Apostolum *2. Corinth. 4. 17. momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloria pondus operatur in nobis.* Ecce omnia hujus vitæ incommoda, omnesque difficultates pro nihilo habentur ab eo, qui æternis inhiat, quibus acquirendis temporalium perpeffio viam parat.

Sacra Scriptura difficultatū victoriæ fidei attribuit.

Exercitium fidei & spei omnia faciliat, etiam ea que consententur gravissima.

Spes facilitatem hanc plurimum auget.



parat. David etiam aperte declarat, quam facili & hilari animo inclinaret cor suum ad obedientiam mandatorum Dei, propter spem retributionis à Deo faciendae. *Psal. 118. 112. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum, propter retributionem.*

Aug. levitatem legis fidei & spei attribuit.

18. Idem expressissimè ac fuse tradit Augustinus *sermone 9. de verbis Domini*, in quo explicat ex professo illud Christi, *jugum meum leve est, & sarcina mea levis* (sic enim ille legit.) Dicit ergo quosdam mirari hoc dictum, cum Christus videatur homines non à labore ad quietem, sed à quiete ad laborem vocasse. Quia omnes, qui volunt in Christo pie vivere perfectionem patientur. Vocavit etiam otiosos in foro ad laborandum in vinea, ut ferrent æstum diei. Tum enumerat patientiam, tribulationem, necessitates, angustias, & plagas Pauli Apostoli, quæ tamen asserit fuisse sarcinam levem ob fidem, & spem bonorum æternorum. *Aderat*, inquit Augustinus, *illi Spiritus sanctus, qui in exterioribus hominis corruptione interiorem renovaret de die in diem, & gustatâ requie spirituali in assuetudine deliciarum Dei, in spe beatitudinis futura omnia presentia deliniret aspera, & omnia gravia relevaret. Ecce quàm suave jugum Christi portabat, & quàm levem sarcinam: ut omnia illa, quæ superius enumerata dura, & immania omnis auditor inhorrescit, levem tribulationem diceret: inveniens interioribus, & fidelibus oculis, quanto pretio temporalium emenda sit futura vita, non pati æternos labores impiorum, sed sine illâ sollicitudine persequi æternam felicitatem iustorum.* Tum ponit exempla ægrorum, militum, nautarum, aliorumque, qui propter spem & amorem bonorum temporalium, magna quæque & asperissima cum gaudio tamquam levissima patientur, & sic concludit; *sed in his omnibus, qui hæc non amant, eadem gravia patientur. Qui vero amant, eadem quidem, sed non gravia pati videntur. Omnia enim sava, & immania prorsus facilia, & ferè nulla facit amor. Quando ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit? Quam facile tolerat qualibet adversitas temporalis, ut æterna pena vitetur, æterna requies comparetur? Non immerito ille vas electionis cum ingenti lætitiâ dixit, non sunt condignæ passionibus hujus temporis, ad superventuram gloriam, quæ relevabit in nobis. Ecce unde illud jugum suave est, & sarcina levis.* Alia in eundem sensum subjungit, ex quibus perspicuum est, levitatem oneris legis Christianæ ab Augustino referri in fidem ac spem, per quas certò cognoscimus, certoque expectamus, ac amamus æterna bona, quæ quia sine temporalium malorum perpeffione haberi non possunt, ideo præ amore æternorum temporalia quæque contemnuntur ut exigua, & pro nullis reputantur. Unde patet quàm longè disteat Augustinus à Celladeo, qui facilitatem jugi nobis impositi non in aliud, quàm in exercitium frequens perfectæ charitatis referri contendit, & quod plus est pro se Augustinum allegat. Sed Augustinus longè aliter sentit. Facilitas enim & levitas ista ab Augustino in fidem & spem rejicitur, quibus si accedat perfectæ charitas, sarcina legis Christianæ non solum levis evadit, sed fit suavis prorsus ac delectabilis. Hoc secundum ita perfectæ charitatis exercitio convenit, ut primum antecedenter ad illud per fidem, & spem habeatur, imò & secundum per spem præstetur, licet in gradu inferiore, quàm per charitatem.

Augustinus Celladeo contrariatur.

19. Ex his patet, levitatem legis Christianæ

consistere in auxiliis gratiæ divini, quæ Deus omnibus ejus doctrinam acceptantibus, & eam ferre conantibus concedit. Gratia possibile reddit, quod naturæ corruptæ, quod carni & sanguini durum est & impossibile; idem autem oculis fidei leve videtur & nullum, atque ideo per fidem redditur facile. Quod si idem per spem desideretur, ametur, & ferventer expectetur, per hoc ipsum res illa non solum evadit facilis, sed etiam aliquo modo delectabilis. Et quidem hæc ratione per exercitia facilia, dura omnia redduntur mollia, atque omnino disponitur ad Deum ipsum perfectæ charitate amandum, quod ex se omnium præceptorum maxime arduum est & difficile, ut fiat; & tamen per fidem & spem facile redditur. Charitate autem semel elicitâ, per illam homo fortificatur, & omnia legis onera faciliora & suaviora fiunt. Cæterum ad ista omnia facilitanda, fidei ac spei oratio adjungenda est, quâ Dei opem humiliter postulemus, quod est etiam exercitium facile, per quod vires impetrantur, quibus durissima quæque absque magno labore tolerari queunt. *Nam Deus impossibilia non jubet, sed sciendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Ut supra dictum est ex Tridentino.

Enarrantur enim quibus legis facilitas consistit.

20. Neque tamen hæc ita accipienda sunt, quasi omnem difficultatem tollant à lege; non ita est, illa semper est difficilis; semper carni ac sanguini, torique homini inferiori dura. Sed ita accipienda sunt, ut quamvis caro semper maneat infirma, atque in multis non parum reluctetur, spiritus tamen per gratiam, mediantibus dictis exercitiis, promptus evadat, fiatque superior illis difficultatibus, atque eas comparatione æternorum parvi pendat, quamdiu ab æternorum amore ac desiderio non desistit. Cæterum in illo ipso fidei ac spei exercitio aliqua difficultas sentitur, quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. *Sap. 9. 15.* & terrena, oculis semper subjecta, avocant mentem à cælestibus & futuris, quæ non videntur. Rursus post mentem in fide ac spe exercitatum adhuc difficultas manet in operis boni executione; unde simpliciter loquendo via virtutis difficilis est, & ita quidem ut Paulus de ipsis Apostolis ad Rom. 8. 23. dixerit, *nos ipsi primum spiritus habentes; & ipsi inter nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri.* Nihilominus lex Christi simpliciter dicitur onus leve, non quod onus non sentiat, sentitur enim, alioquin onus non esset, sed quia vires spiritui collatæ superant onus, adeo ut cum superioritate animi, & quâdam spiritus quiete ac voluptate ferri possit, etiam carne reluctante.

Lex semper est difficilis carni & sanguini.

21. Difficultas itaque legis non opponitur levitati oneris, sed præsupponitur, quia in illâ ratio oneris consistit, ut patet. Cæterum hæc difficultas eò minor evadit, seu eò facilius superatur, quod quis in fide & spe, ac humili oratione magis se exercet. Sed quia lex ad communitatem refertur, & pauci sunt, qui valde sedulo se in istis exercent, ideo pauci sunt, à quibus difficultas legis servandæ notabiliter non sentiat, & consequenter onus legis gravius est majori parti, quàm illis, qui ad virtutum exercitium diligenter incumbunt. Nihilominus omnibus non planè pigris & negligentibus, sed mediocri saltem diligentia conantibus, & se aliquando in fide ac spe atque in oratione humili exercentibus, lex Christiana simpliciter est onus leve per se loquendo, quia

Difficultas legis non opponitur levitati oneris.



quia vires talium superant onus, ut dictum est. Quod si quis concupiscentiis carnis, quæ militant adversus animam, indulgeat, aut in peccato fordescat, nec curet se in gratiam restituere, sed voluntariè remaneat in statu peccati, aut omne ferme exercitium fidei, spei, ac orationis negligat, tribuat sibi, si gravetur hoc onere, & succumbat, quia absque magnâ difficultate poterat vim oneris superare, sed noluit. Itaque lex Christiana omnibus simpliciter eam acceptantibus est onus leve, per se loquendo, quia vires superiores onere omnibus dantur, omnesque absque magnâ difficultate adhibere possunt media, quibus oneri ferendo evadant superiores, idque jam multò magis, quàm ante Christum, quia nunc fides est clarior, & bona æterna promissa majora sunt, & clariùs propofita. His positis, superest videndum, an & quomodo benigna sententia ex citatis sacræ Scripturæ locis stabiliri possit. Quod ut fiat. Sit.

ASSERTIO VII.

*Nulla est lex à Deo hominibus data, quam Doctores ipsius, opinionibus, præceptis, ac interpretationibus suis, non possint reddere graviorem, ac humano modo importabilem.*

Doctores suis interpretationibus reddere possunt legem gravè & importabilem.

22. **P**ROBATUR ex Matth. 23. 4. ubi Christus reprehendit Scribas & Phariseos dicens: *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Hoc est (inquit Cornelius à Lapide in interpretatione hujus loci) *multitudine, magnitudine, & gravitate præceptorum, ac tributorum populam onerant, deprimunt, & pene opprimunt.* Porro quòd onera illa dicantur *importabilia*, solùm significat ea fuisse valde difficilia ad portandum, si enim prorsus impossibilia fuissent, subditos non obligassent, quia nemo obligatur ad impossibile. Quod si quæras, quænam fuerint hæc onera. Audi Cornelium citatum. *Talia erant, rigida legis interpretationes, ac insuper plurima alia, quæ præter legem ipsi præcipiebant populo, circa oblationes, decimas, primitias, &c. quæ ipsi rigidissimè à populo exigebant. Tam rigide sabbati observationem præscribebant, ut nec Christum agros curare, nec famelicos ejus discipulos spicas vellere, & comedere permittebant.* Hinc sic arguo: Scribæ & Pharisei interpretationibus, præceptis, ac traditionibus suis legem Dei, à Moysè traditam, longè graviorem, ac humano modo importabilem reddiderunt. Idem evenire potest in omni lege, si Doctores illius eam in populo exponant, sicut Scribæ & Pharisei legem Moysis interpretabantur. At certum est, Doctores cuiusvis legis posse à munere suo deficere, Scribarumque rigorem imitari. Ergo nulla est lex à Deo tradita, quam Doctores illius non possint suis doctrinis reddere difficillimam, & moraliter humano modo importabilem.

Idipsum inductione probatur.

23. Probatur secundò experientiâ, per omnes ætates continuatâ. Numquam defuerunt in Ecclesiâ, qui aut nimio zelo decepti, aut lucri spe, vel certè existimationis atque æmulationis æstro perciti, tales interpretationes, atque præcepta legi, ut aiebant, consona, & ex eadem confectaria, statuerunt, ut illam gravissimam ac intolerabilem redderent. Quidam ab Ecclesiæ exordio contendebant, circumcisionem Evangelio jungendam. Hoc S. Petrus Act. 15. vocat jugum,

quod nec ipsi, nec ipsorum Patres portare poterant. Alii nuptias illicitas esse prædicabant, alii penitentiam lapsis negabant. Quid plura? nuperissime vidimus plures in Galliâ, zelo nescio quo, libros scripsisse, quibus antiquam, ut aiebant, severitatem restituere, moresque reformare intendebant. Verùm onera imponebant durissima, quæ ne tandem importabilia evaderent, Alexander VII. prudenter cavet, dum librorum illorum lectionem, ac retentionem severissimè interdixit.

ASSERTIO VIII.

*Lex Christiana, præceptorum ac legum Ecclesiasticarum adjectione, facta est difficilior, quàm esset tempore Apostolorum, aut cum primum promulgata est.*

24. **P**ATET assertio. Ab initio, præter fidem explicitam Christianæ legis, & necessarium Sacramentorum usum, nil obligabat sequaces Christi, exceptis iis, quæ lege naturæ omnibus erant communia, si dilectionem inimicorum, & alia fortè pauca (si tamen illa etiam ad legem naturæ quoad strictam obligationem non pertinerent) exceperit. Hæc erat libertas Evangelica omnibus propofita, quæ quidem pro onere levi meritò propofita est iis, qui à lege veteri ad Christianam accedebant; à servitute enim ad libertatem transire videbantur, si res in utraqûe lege præceptæ compararentur; idque multò magis verum erat, si vires utriusque statui ac legi determinatæ in comparationem venirent. At nunc tot abstinentiæ ac jejunia, tot onera ac præcepta, tot censuræ & inhabilitates, tot leges & canones, tot restrictiones & exceptiones paulatim adjectæ sunt, ut difficillimum sit, viros doctos, etiam post diuturnum studium, ea omnia mente completi, nedum opere compleere. Quot dubia & perplexitates in animis tam Confessariorum quàm penitentium quotidie experimur circa onera juris humani, de quibus ab Ecclesiæ exordio nulla erat mentio. An hæc & hæc similia nullam observandi difficultatem secum ferunt? Nuxæ. Quis non videt, levius esse onus illorum, qui, cæteris paribus, paucioribus præceptis obligantur? Quis secum severius agi, quàm cum reliquis non putaret, qui præter communia omnibus onera, ad quotidianum jejunium, aut verberationem ex præcepto singulariter & solus obligaretur?

Lex Christi gravior est nunc, quàm esset ab initio Ecclesiæ.

25. Probatur secundò. Lex à Christo tradita, ex novorum præceptorum additione, evadere potest difficillima, & moraliter importabilis, ut constat ex assert. 7. At hoc fieri nequiret, nisi additio præceptorum eam difficiliorem redderet; non enim aliunde provenit importabilitas ex præceptorum additione, quàm ex difficultatis argumento, absque eo quòd vires oneri ferendo proportionaliter augeantur. Ergo cum innumera nova præcepta legi à Christo latè addita sint, haud dubiè legem Christianam difficiliorem reddiderunt, quàm esset ab initio, quia præceptorum novorum additio novas vires oneri proportionatas non addit.

26. Atque hic ponderatio Caietani in illa verba. *Alligant onera gravia, &c.* locum habet. Sic autem ait. *Vinam hæc verba Domini Iesu in sedentibus super Cathedram Moysi finem habuissent. Vinam hodiè non verifcarentur. Tot jam onera sunt super utrius-*

Confirmatur auctoritate.



utriusque testamenti honestissima præcepta imposta super humeros hominum, ut Christiani facile se servire Christo credant, si tot laqueis non subicerentur: & Confessores felices se arbitrarentur, si de solis divinis præceptis solliciti esse deberent. Cum his tamen omnibus parandum est Iesu dicenti, omnia quæcumque dixerint servate, & facite. Ecce quantâ animi significatione grave onus hominum humeris à superioribus Ecclesiæ impostum doctissimus, zelantissimusque Cardinalis deplorat. Interim stat verissimum esse, legem Christianam hac ætate esse servatu difficiliorē, quàm erat tempore Apostolorum, aut cum primùm promulgata fuit.

ASSERTIO IX.

*Opinio docens, homines in omnibus obligatos esse ad partem tutiorem, etiam quando est probabile, immò probabilius, aut unice probabile, quòd oppositum sit licitum, est onus gravissimum, ac moraliter loquendo importabile, maxime pro totâ communitate.*

Obligari ad partem tutiorem in omnibus est onus importabile.

PRIMA RATIO.

27. **P**ROBATUR Rigidæ legum interpretationes onus legis aggravant, ut constat ex assert. 7. & 8. Rursus quò rigidior est interpretatio, eò lex evadit gravior, quia causâ crescente, pariter & effectus crescit. Ergo si leges in mitissimâ interpretatione suam difficultatem, & quidem notabilem habeant, ut sine dubio habent, difficillimum erit, eas juxta rigidissimam interpretationem observare, eò autem magis crescit hæc difficultas, quò leges per se difficiles numero plures sunt, & actus, quibus servari debent, frequentius occurrunt. Porro difficultas ex istis capitibus orta eò usque crescere potest, ut non labi evadat difficillimum, ac moraliter impossibile. Hoc posito sic. Lex Evangelica, etiam prout à Christo promulgata est, est servatu difficilis, quia abundat præceptis carni & sanguini, totiusque hominis inferioris propensionibus prorsus contrariis, ut certum est. In solâ castitate servandâ, quotidiana est pugna, inquit Augustinus, & rara victoria. Rara autem victoria in luctâ non potest non esse difficilis, quia in rebus ejusmodi raritas difficultatem arguit. Ergo à fortiori tota lex est servatu difficilis etiam juxta mitissimam illius acceptionem, cum pauci eam servant illibatam, & nemo non aliquando gemat sub onere. Quid jam dicemus de istâ lege, si innumera alia præcepta, etiam servatu difficilia, quorum observatio frequenter urget, adjiciantur. Sane onus evadit gravissimum. Talis est præsens status, quem Caietanus deplorat, & quodammodò importabilem reputat. Quòd si omnium istorum præceptorum non rigida, sed rigidissima interpretatio accedat, quæ omnes obliget ad eam exactissimè servandam, onus eò usque excreset, ut fiat gravissimum, & moraliter loquendo evadat importabile, maxime respectu communitatis, cujus major pars est debilis, & oneris tam gravis hinc patiens. At hic est casus præsens, quia opinio universaliter docens, partem tutiorem in omnibus ex præcepto tenendam esse, æquivaleret rigidissimæ omnium legum interpretationi, cum nulla esse possit interpretatio rigidior, quàm quòd tutiora in omnibus sint tenenda, & nulla

probabilitas à tutiore parte sectandâ liberet. Ergo talis sententia reddit Legem Christi respectu omnium difficillimam, & vel maxime respectu communitatis importabilem.

SECUNDA RATIO.

28. **P**ROBATUR secundò. **E**xperientiâ constat, cuique difficilior esse restituere possessa, quæ certò novit probabiliter ad se spectare, quàm quando constat illa esse aliena. Omnes enim probi in secundo casu haud ægrè se privant bonis alienis, qui tamen ægerrimè adduci possunt ad restituendum ea, quæ ipsi probabilius judicant ad se pertinere. Idem dico de recitatione divini officii, quando probabile est illud jam esse dictum, nullamque obligationem illud repetendi urgere; longè enim difficilior homini est illud à eâ circumstantiâ recitare, quàm si certò sciret, se illud non recitasse. Nec mirum. Durum siquidem est ex propriâ quodammodò electione tantum onus subire, quando non constat illud à Deo exigi, & multò magis, quando probabilissimè constat, nullam dari ejusmodi obligationem; unusquisque enim naturaliter amat libertatem suam, & impetu naturæ abhorret ab onere, quo sub æternæ damnationis reatu obligatur ad id, quòd sine difficultate servari non potest. Obligari enim tali onere periculosissimum est; nemo autem nisi illibenter, & quodammodò coactè tali periculo se committit. Hoc onus eò gravius esset, quò frequentius ferendum occurreret, quòque probabilius esset, nullam ejusmodi obligationem dari. At sententia rigida imponit hoc onus respectu omnium præceptorum, etiam apparentium; quia in omnibus ponit obligationem sectandi tutiora, etiam probabiliora, nullam ejusmodi obligationem extare. Nec semel aut iterum hoc onus imponit, sed pro omni casu apparentis obligationis, etiam contra rationes probabilissimas, quòd certè frequentissimè accidit. Ergo sententia rigida est onus grave, & moraliter importabile, maxime respectu communitatis.

Experientiâ idipsum confirmat.

Confirmatur sic. Omnes experimur singularem cordis mæstitiam, quando versamur in dubio, utrùm aliquid ex se molestum ac difficile sit præceptum nec ne. Quòd si periti, quos consulimus, casum in favorem libertatis determinent, mirâ afficimur voluptate, quia gravi onere nos liberari sentimus. Ergo qui asserit homines in omnibus omnino obligari ad tutiora, etiam quando probabilissimum est, eos ad illa non teneri, gravissimum onus, immò innumera gravissima onera illis imponit, legemque reddit moraliter importabilem, quia talia onera difficillimè tolerantur, cum naturali libertatis appetitui maxime repugnent; & consequenter tale onus moraliter loquendo à communi hominum fragilitate tolerari non potest.

TERTIA RATIO.

29. **P**ROBATUR tertio. **D**eus supremus Dominus, sapientissimus legislator, atque justissimus meritorum ac demeritorum iudex, ita misericordiam justitiâ, atque rigorem clementiâ temperavit, ut onus ferendum subditorum viret proportionaretur, ne desperarent de victoria, si præcepta vires quodammodò superarent, aut meritum evaderet exiguum, si onus vires quodammodo non æquaret. Ergo onus à Deo

Onus legis proportionatur viribus subditorum.



Deo impositum; juxta moralem rerum aestimationem, quodammodo aequat vires hominibus dadas. Ergo qui onus hoc à Deo, qui omnia in pondere & mensurâ operatur, viribus nostris commensuratum magnoperè aggravat, reddit illud moraliter importabile, maximè à communitate. At sententia rigida dupliciter aggravat hoc onus. Primò ponendo præcepta, quæ Deus nunquam injunxit. Secundò tam hæc à se invicèta, quàm alia à Deo tradita durissimè interpretando; in utroque autem sæpe à veritate aberrat. Inprimis sententia illa multiplicat præcepta, quia in multitudine opinionum probabilium plura ut illicita damnantium, necesse est plures earum esse falsas. Ergo rigida sententia tot præcepta multiplicat, quot sunt opiniones falsæ docentes præceptum existere, quando non existit. Illæ autem sunt plurimæ. Ecce sententia rigida plurima invehit præcepta, quæ nec Deus, nec Respublica Dei vicaria, unquam constituit. Similiter tot nova onera injungit, quot sunt falsæ opiniones circa interpretationem omnium legum, sive verè, sive solum apparenter existentium. At plurimæ opiniones circa talium legum interpretationem sunt falsæ. Ergo rigida sententia ita aggravat legem Dei, ut illam reddat onus gravissimum.

Sententia rigida plurimum auget onus à Deo impositum.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objeçtio 1. 30. **O**BJIC. primò. Hoc argumentum aequè probat, benignam sententiam tollere plura præcepta à Deo statuta, atque in reliquis eorundem rigorem à Deo etiam intentum minuire. Tot enim præcepta tolluntur, quot sunt opiniones probabiles falsæ. dicentes legem non dari. Tot etiam sunt restrictiones rigoris intenti, quot sunt falsæ opiniones rigorem illum negantes. At, juxta benignam sententiam, istæ opiniones probabiles, et si falsæ, (in multitudine autem omnium plurimæ sunt falsæ) evacuant legem, rigoremque à Deo intentum tollunt. Ergo datur compensatio, quia quantum oneris additur per rigidas opiniones falsas, tantumdem aufertur per opiniones benignas pariter falsas.

Respondet hoc argumentum illis favere, qui volunt, quòd unicuique licitum sit sequi suam opinionem probabilem directam excusantem, ita tamen ut obligetur etiam ad conformandum se suæ opinioni directæ obliganti, quia hinc sequitur, onera quodammodò ex æquo minui ac gravari, ut constat ex argumento. Verùm si loquamur de sententiâ rigidâ universali reflexâ, omnia è contrario se habent, quia favorabilis ac probabilis interpretatio nil minuit de rigore legis, sicut opinio probabilis de legis non existentia nullo modò legis obligationem evacuat, ut ipsi expressè docent. Ergo sententia rigida undique arctat legem per se difficilem, & consequenter reddit illam onus gravissimum, ac moraliter importabile.

Objeçtio 2. 31. **O**B. secundò. Benigna sententia universalis reflexa approbat ut licitum, quidquid ulla opinio probabilis directæ asserit esse permissum. Ergo in multis tollit leges à Deo latas, & in aliis evacuat rigorem à Deo intentum, quia honestat non solum veras sed etiam falsas opiniones probabiles, libertati faventes, tam circa leges, quàm circa earum interpretationem. At hoc est inconveniens, maximè cum fiat sine compensativo, quod daretur, si solum liceret sectari opiniones probabiles de honestate rei directè enunciante.

Respondet inprimis, homines ob istas opiniones reflexas ita constitutos esse, ut vel aliquid de rigore apparentium legum remittendum sit, vel onus legis ultra debitum plurimum excrecat. Esto ergo, utrumque sit inconveniens. Ergo inevitabiliter versatur inter duo mala disjunctivè necessaria. Ergo minimum illorum est eligendum, maximè si illud meritò præsumatur esse magis consentaneum voluntati supremi legislatoris. At malum, ex benignâ sententiâ imminens, est incomparabiliter minus malo, quod sententia rigida invehit. Inde enim materialis tantum, hinc formalis transgressio legum timetur. Rursus hoc minus malum est magis consentaneum voluntati, ac propensione Dei, qui magis propendet ad favorem, quàm ad rigorem. Proprium enim legislatorum est, ut præsumi velint faciliore ad mitem legum interpretationem, quàm existimari rigidi ad omnia juxta severissimum earum sensum exigenda, quia prior præsumptio amorem, secunda timorem & aversionem quandam excitat; Legislatores autem præsumuntur velle potius ut subditi amore, quàm timore regantur. Quòd si hoc verum sit in humanis, multò magis locum habet in Deo, cujus miserationes eminent super omnia opera ejus. Itaque benigna sententia haud dubiè præferenda est.

Respondet secundò, nullum ex benignâ sententiâ sequi inconveniens, illa enim nullam legem evacuat, sed solum enunciat, eas leges apparentes non habere vim legum, quæ verè illam non habent, nulla enim lex apparens vim obligandi exercet, nisi sufficienter applicetur & promulgetur, ut patet. At quoties post diligens examen manet probabile, legem non existere, talis lex non est sufficienter applicata & promulgata, ut constat ex *quæst. 23. num. 14. de conscientia probabili*, & fusè declarabitur *quæst. 43.* Ergo non obligat. Præterea, stante conditione & ignorantia naturæ humanæ, non est inconveniens, quòd leges aliqua non sufficienter applicentur ac promulgentur, quamvis per se loquendo legislator intendebat nos per illas obligate. Non, inquam, est inconveniens, quia quòd necessariò sequitur ad aliquid, illo posito, non est inconveniens, sed illi consentaneum. At stante conditione humanæ naturæ necesse est, aliquas leges non esse sufficienter applicatas. Ergo hoc non est inconveniens respectu naturæ humanæ. Ergo neque inconveniens est, sed valde conveniens hoc sciri. Scitur autem & traditur per benignam sententiam, quæ proinde nullum secum inconveniens trahit. Quod ex eo etiam clariùs patet, quòd quando benigna sententia enunciat opus tale esse licitum, consideret illud prout substat aliquibus circumstantiis illud honestantibus, sub quibus à nulla lege prohibetur. Ergo benigna sententia nullam legem evacuat, sed ad summum leges aliunde non sufficienter promulgatas & applicatas considerat, atque de illis juxta meritum illarum enunciat, quòd convenientissimum est. E contra verò magnum in sententiâ rigidâ invenitur inconveniens, quia præter leges certas à Deo stabilitas, plures novas graviter obligantes inducit, atque ideò onus legis summo opere adauget, plurimisque peccatis committendis moralem necessitatem inducit. At benigna sententia nullam legem certam evacuat, nec quidquam docet esse honestum, quòd verè honestum non est, prout sumitur in circumstantiis, quas illa considerat.

Inconveniens benignæ sententiæ, si quòd habeat, est longè minus inconvenienti sententiæ rigidæ.

Benigna sententia nullam legem evacuat, nec ullum secum inconveniens afferit.

Rigida sententia undique aggravat.



**Obiectio 3.** 32. Obicit tertio. Curanda non sunt ista onera, quia Deus semper dat vires proportionatas oneri ferendo, quod imponit. Ergo nil refert, quod onera augeantur, quia simul augentur & vires. Ergo sententia rigida non reddit legem Dei onus importabile.

**Dens lege ordinaria non auget vires quoad onera indebitè augentur à superioribus vel Doctoribus.**  
 Respondeo, Deum ita se gerere cum hominibus, maximè cum fidelibus legem servare conantibus, ut semper det vires proportionatas oneri ferendo, quod ipse imponit. Similiter non pariter adjuvat extraordinariè, quando conlucta onera à Ministris Reipublicæ iustis de causis augentur. Tunc enim illi agunt, quod Deus vult per illos fieri, ut patet. At quod Deus lege ordinariè omnibus taliter assistat, ut contendit obiectio, etiam quando Publici Magistratus, ac superiores aburuntur potestate sibi concessâ, & quod plus est, quando privati homines ex suis capitibus per doctrinas rigidas contra communem omnium Auctorum reclamantium consensum hæc onera multiplicent, falsum esse convinctur, non solum ex verbis Christi dicentis, *scribitis alligasse onera gravia & importabilia super humeros hominum*, sed etiam ex communi omnium persuasione, quod superiores indisereti, Doctores què nimis rigidi sæpe eodèque onera augeant, ut illa à subditis moraliter loquendo ferri non possint. Hæc autem vera non essent, si Deus semper novas vires adderet, quando illi nova onera imponunt, quia tunc eadem semper maneret proportio inter vires & onera, ergo onus nunquam evaderet importabile. Applicata hæc contra Celladeum, qui contra omnes alios singularem innoxiam sententiam, eamque rigidissimam, & videbis illum singulari suâ doctrinâ legem Christianam aggravare, atque importabilem reddere, maximè à communitate.

QUARTA RATIO.

**Nonnulla rigida sententia onera & inconvenientia proponuntur.**  
**Primum onus peccatoribus incumbet.**  
 33. **P**ROBATUR quartò, enumerando aliqua capita, ex quibus legis difficultas summopere cresceret, si rigida sententia admitteretur esse vera. Inprimis omnis peccans statim post peccatum teneretur ad actum perfectæ contritionis, aut ad Sacramentalem Confessionem. Hoc parum est, unusquisque pro singulis instantibus denuò peccaret, qui tam de peccato præterito, quam de morâ, quâ peccatum habituale retinuit, non ita poeniteret, ut peccati remissionem obtineret, quia sunt opiniones docentes, peccatores ad ista obligari. Ergo si tutiora sectanda sint, hæc utique præstanda erunt. Sunt autem onus durissimum, cum homo tunc temporis minimè idoneus sit ad respiciendum, & gratiam recuperandam, ut experientiâ constat, & ex ipsis rerum naturis apertè colligitur.

**Secundum onus litigantibus incumbet.**  
 34. **S**ecundò. Vix ullus ex litigantibus licitè possit aut bona possessa retinere, aut quæ probabilissimè sua sunt à possessore exigere, quia uterque teneretur ad partem sibi tutiorem, quæ alia non est, quam quod possessor bona ad alium probabiliter pertinentia abjiciat, ne alienum invito Domino retineat, quodque actor litem non intenet, ne verum Dominum molestat, suaque re privet. Jam quoties litigatur, plerumque res ita constitutæ sunt, ut probabilitas utriusque parti faveat. Ergo vix ullus ex litigantibus unquam esset tutus in conscientia. Quid autem reipublicæ accidere potest magis importabile, quam istiusmodi consequentias admittere?

35. Tertio, omnes ferè tenerentur Confes-

sionem generalem totius vitæ instituere, quia vix ullus invenitur, qui vel ex propria electione, vel certè ex Confessarii tolerantia in multis rebus ad speciem, numerum, ac gravitatem peccatorum spectantibus, &c. non sit sequutus opinionem probabilem, contra aliam tutiorem etiam probabilem. Ergo vix quisque integrè Confessus est. At omnes ad integram peccatorum Confessionem tenentur, quam vix ullus juxta præscriptum rigidæ sententiæ fecit. Ergo omnes ferè iterum tenerentur generalem Confessionem instituere; idque non solum, quia non essent confessi omnia, quæ tenebantur confiteri, sed etiam quia acta peccasset sectando opinionem probabilem contra oppositam probabilem tutiorem, dum se gratiam adipisci sperabant. At hoc est onus intolerabile, cum sine gravissima conscientiarum anxietate, & labore ferè insupportabili subiri non possit, maximè si omnia observanda sint, quæ rigida sententiâ præscribit.

36. **Q**uartò. Scrupulosi nullam quietem, aut perplexitatis suæ levamen invenire possent. Veraxto enim illorum in eo versatur, quod in omnibus teneantur sequi tutiora. Ergo cum ipsi ad dubia occurrentia solvenda non sint idonei, si pace frui velint, aliorum directioni ac sententiæ stare debent. At hoc eis non liceret, quia adhuc periculo se committerent, siquidem nuda directoris assertio solum probabile reddit quod dicit, nec aufert probabilitatem oppositi. Ergo si contingat illum errare, scrupulosus ejus directionem sequens peccat contra legem. Porro quia in rebus dubiis & utrimque probabilibus, probabile est directorem errare, utique qui sequitur ejus directionem, exponit se probabili periculo errandi: ergo peccat ob temeritatem, cum sectando partem tutiorem omni possit periculo liberari. Ergo si rigida sententia esset vera, scrupulosus omni remedio humano careret, & per consequens in manifestum peccati ac damnationis periculum incideret; difficillimum enim illis est semper sectari tutiora, cum vix unquam se tutos autument. Ergo rigida sententia scrupulosi omnibus, id est, magnæ timoræ conscientie parti imponit onus gravissimum. Ergo sententia illa contrariatur divinæ providentiæ, quæ suaviter omnibus providet.

37. **Q**uid quod eadem sententia, si admitteretur, omnes in innumerabiles scrupulos conjiceret, à quibus liberari non possent. Conjiceret in scrupulos, quia unusquisque in rebus incertis meritò formidaret, an pars tutior esset ex necessitate tenenda. Ergo semper teneretur eam amplecti, & sic innumeri scrupuli, & perplexitates orientur in mentibus omnium, qui conscientie curam gererent. Immo si homines per nullam, ut vult Celladeus, probabilitatem, immò nec per certitudinem existimatam partis minus tutæ excusarentur, omnes formidare deberent peccatum, quoties vel levissimam haberent mali latentis suspicionem, etiam contra rationem probabilem pro honestate operationis. Ergo omnes conjicerentur in scrupulos, quia essentia scrupuli consistit in affingendâ ac timendâ obligatione propter motivum improbabile. Tunc autem scrupulos evadit summus, quando obligatio non solum fingitur ob motivum improbabile, sed ruminatur adhuc, & timetur in sensu composito motivi probabilis suadentis oppositum. Ergo sententia rigida, ejusque praxis, est praxis scrupulorum, & obligatio practica sectandi in omnibus stimulum conscientie scrupulosæ, quo nihil ablat-

Tertium vix quisquæ quietus esse posset de valore suarum Confessionum.

Quartum scrupulosi nullum daretur remedium.

Immo omnes in innumerabiles scrupulos conjiceret.



absurdius, aut importabilius dici potest. Rursus nullum esset remedium liberandi homines à talibus scrupulis. Cùm enim directa evidentia de rerum veritate non habeatur, ad summum habere possumus probabilitatem contra motiva levia & improbabilia. At hoc non sufficeret ad scrupulum deponendum, quia unusquisque in eo etiam casu ad partem tutiorem teneretur. Ergo omnes conjicerentur in scrupulos irremediabiles, quod esset onus gravissimum & importabile.

38. Quinto. Si tutiora in omnibus tenenda essent, officia Confessarii, Theologi, Judicis, & alia ejusmodi essent onera importabilia, cùm nemo nisi imprudentissimus è posset se illis submittere. Quas quæro difficultates, quæ penitentium odia incurreret Confessarius, qui in omnibus tutiora juberet, quamvis penitentes pro se rationes probabilissimas, communemque omnium auctoritatem haberent? Nónne tale onus esset insupportabile? quis prudens vellet illud subire? Idem de Theologo casum resolvente dicendum est, is enim graviter peccaret, si in suâ resolutione erraret, quia proximo resolutionem sectanti scandalum præberet, peccaret enim illam sectando, quia faceret contra legem, ut vult sententia rigida, quam modo impugnamus. Ergo munus Theologi, qui debet casum resolvere secundùm id quod sentit, esset periculosissimum, & à nemine prudenter subiri posset. Immo peccaret talis Theologus quomodocumque se gereret, si casum pro parte minus tutâ resolveret. Inprimis peccaret, si erraret, ut dictum est. Deinde eisi verum diceret, peccaret, quia exponeret proximum periculo agendi contra legem, atque seipsum inevitabiliter exponeret periculo errandi in re gravissimâ, cùm in opinando sectaretur partem minus tutam; nam tutior pars est à tali officio abstinere, nec similibus immisceri. Ergo Theologus semper peccaret, si resolveret casum in favorem partis minus tutæ. Immo periculo peccati subjaceret resolvendo casum in partem tutiorem, quia si erraret, legem ipse contra Dei intentum induceret, & fratrum conscientiam indebitè oneraret. Semper autem periculo hoc præstandi se exponeret. Unde munus illius absque peccato administrari non posset.

39. Dicere autem, Theologum semper teneri in incertis ad resolvendam quæstionem in favorem partis tutioris, est evidenter falsum; tunc enim frustra eos consuleremus, & illi frustra laborarent, quia jam tum constaret, partem tutiorem esse tenendam, & illos ita respondere debere. Præterea Theologi est, dicere quod sentit. Ergo si sentiat legem non esse, tenetur ita respondere, alioquin mentiretur, & in re gravi proximum oneraret ad id, ad quod ipse putat eum non obligari. Demum si Theologi tenerentur casum resolvere in partem tutiorem, omnes peccassent, qui quæstionem solvissent pro parte minus tutâ. Peccassent ergo S. Thomas, Bonaventura, S. Antoninus, aliique innumeri sanctitate conspicui, cùm omnes plurimos casus in favorem partis minus tutæ resolverint. At sequela absurda est & blasphemica. Ergo Theologus non tenetur resolvere quæstionem in favorem partis tutioris, sed illius, quam veram reputat. Sed hoc faciendo per adversarios semper peccat, si errat, quia semper facit contra aliquam legem; errando enim vel minuit, vel auget legem Dei. Utrumque autem est malum. Et si non erraret, peccat tamen exponendo se & alios periculo pec-

candi. Ergo officium Theologi esset prorsus tremendum & importabile.

Eadem est ratio de Judice, qui semper versatur in incipiti, ne erret, & liguans suo jure defraudet. At si erret, peccat, eisi sequatur partem, quam probabilioris & verioris reputat. Rursus tutius illi esset à tali officio abstinere. Ergo non posset illud licitè suscipere. Ergo sententia rigida omnis generis officia reddit importabilia, quorum tamen administratio est reipublicæ prorsus necessaria.

40. Sexto. Superiores non possent sequi opinionem probabilem in præcipiendo, nec subditi in obediendo. Ergo tota respublica turbaretur. Certum enim est, plurima Magistratum ac Regum præcepta in viciis imponendis, obsequiisque postulandis fundari in solâ probabilitate directâ de honestate operis præcepti. Ergo non possent licitè præcipere ejusmodi. Similiter subditi non possent obedire, quando non esset certum superiores præcipere obsequia honesta. Hinc autem quanta turbatio oriretur in republica? Superiores jurisdictione privantur, subditi in superiores armantur. Absurda ergo & non toleranda est sententia, ex quâ talia consequuntur.

41. Collige hæc omnia in utrum, & specimen habebis maximæ difficultatis, ac moralis importabilitatis, in quam sententia rigida homines conjicit. Specimen, inquam, quia quæ sex istis capitibus continentur, sunt pars exigua difficultatum, quas secum fert illa sententia; utpote, quæ omnes obligat ad partem tutiorem in omnibus prorsus materiis ac opinionibus, quæ sunt innumera. Ergo sententia illa innumera onera, & quidem gravia, magnâque ex parte gravissima, injicit in humeros hominum. Unde sic arguo. Hoc onus, si extaret, superaret vires fragilitatis humanæ, hominesque conjiceret in moralem necessitatem committendi plurima peccata; necessitas enim hæc est inseparabilis ab onere gravissimo, quando occasio ac necessitas illud ferendi semper est obvia, & frequentissimè occurrit, ut in casu nostro.

42. Porro ex gravissimo onere hujus sententia sequitur, nullam dari legem, quæ usum illius præcipiat, quia lex talis esset nociva, pluraque longè incommoda secum ferret, quam commoda. Si enim nunquam lata fuisset, aliud incommodum non sequeretur, quàm materialis violentio legis, quæ homo rationabiliter judicaret, se nullam ne quidem materialem violationem incurrrere. At hoc exiguum est inconveniens, maximè cùm in tali casu, lex quæ violari videtur, non sit sufficienter promulgata & applicata ut obliget. Si verò lex ejusmodi lata esset, eo ipso innumera peccata ex morali necessitate consequerentur, totaque respublica turbaretur, omnibusque onus intolerandum injiceretur. Ergo lex, per quam Deus malorum diminutionem intenderet (finis enim legis est vitare mala alioquin oritura, per quæ ordo naturæ rationalis turbaretur) eorum multiplicationem non solùm fovet, sed morali necessitate induceret. Ergo esset lex noxia, proprioque legum fini repugnaret. At Deus nec est, nec esse potest Auctor talium legum. Ergo nulla datur lex ejusmodi.

Quintum, eisi in reipublica necessaria administrari non possunt.

Sextum, obedientia & imperium impediuntur.

Omnis sententia rigida est prorsus intolerabilis.

Lex præcipiens praxim sententia rigida est noxia & fini legum repugnans.



ASSERTIO X.

Non existentia legis, obligantis homines ad tutiora in omnibus sectanda, optime probatur ex illo loco Matt. 11. Jugum meum suave est, & onus meum leve: atque etiam ex illo. 1. Joan. 5. Mandata ejus gravia non sunt.

Falsitas rigide sententiae rite probatur ex levitate legis Christianae.

43. **PROBATUR.** Lex illa, quae, si existeret, totam rempublicam turbaret, mala non minueret, sed multiplicaret, homines scrupulis innumeris inquietaret, illosque onere gravissimo, & moraliter importabili gravaret, lex, inquam, illa non est jugum suave & onus leve, sed e contrario est mandatum gravissimum. At lex Christi est jugum suave & onus leve, & mandata Christi gravia non sunt. Ergo lex illa non est lex Christi, nec à Deo lata est. Major patet. Minor perspicua est ex dictis. Consequentia legitime deducitur.

Gravissimi interpretes hos textus in favorem benignae sententiae exponunt.

44. Rursus, gravissimi Patres, & Auctores hos textus in hunc sensum explicant. S. Antoninus parte. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. & Sylvester verbo scrupulus num. 3. locum illum Matthaei adducunt, ad probandum quod liceat nobis sequi probabilis interpretationem legis, quia alioquin non esset verum, *Jugum Christi esse suave, & onus ejus leve.* Similiter Conradus quaest. 100. de Contractibus, ex professo probat, quod opiniones falsae circa praecepta & obligationes aggravent onus legis Christianae, illudque grave reddant cum sit leve; ibidem autem contendit, licitum esse sequi opinionem minus tutam, quam quis probabilior reputat. Verba horum Auctorum dedi quaest. 22. de conscientia prob. ubi videri possunt, nec desunt alii, qui loca ista in eodem sensu intelligunt, ut ibidem videre est.

Didymus & Oecumenius nobiscum sentiunt.

45. Oecumenius, Didymus sequutus, apud Justinianum in commentario illorum verborum: *mandata ejus gravia non sunt*: monet, Apostolum Joannem aliter locutum, quam Christum. Christus dixit, *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Joannes dicere maluit, *mandata ejus gravia non sunt.* Propterea, inquit, quod ei, qui in virtute jam proventus est, etiam ea, quae valde gravia sunt, levia habentur, quibus verbis indicat, Christum locutum esse de provento in virtute; Joannem non item, sed considerasse praecepta secundum se, relatè ad vires omnibus communiter collatas, qui fide & spe erecti cupiunt mandatis obtemperare, & de mandatis sic acceptis dicit, quod gravia non sunt. Propterea, inquit, *mandata ejus gravia non sunt.* Quid enim gravitatis, ac molestiae in se non habet fratrem amare? Quid visere eos, qui in carcere sunt, gravine est? Non enim è carcere educere, ac liberare, quod molestiam quandam praese fert, sed invisere tantummodo suber. Neque agrotantem morbo liberare, sed visere, neque esurientem opiparâ mensâ excipere, aut nudum pallio ornato ac magnifico induere praecipit, sed ea tantum exhibere, quae necessaria indigentia succurrant, quod & qui esuris, & qui nudus est, requirit.

Mandata Christi per se non sunt gravia.

Prima pars hujus expositionis supponit, mandata non esse gravia, ut ferventur; adeoque carentiam gravitatis non in solum charitatis virtutumque fervens exercitium, sed in vires antecederentur datas, ex quibus illud exercitium potest conflurgere, rejicit. Secunda pars ostendit, res praeceptas secundum se non esse graves relatè ad R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

multitudinem populi Christiani, & consequenter relatè ad ordinaria auxilia Christianis concessa. Quae omnia contrariantur iis, quae Celladeus probare contendit, sed de sensu horum textuum plura infra dicentur.

46. Porro experientia docet, mandata Christi per se loquendo non esse gravia fidelibus, qui fide & spe erecti vel mediocriter saluti suae invigilant; plerique enim fidelium, qui pravis habitibus corrupti non sunt, & à proximâ peccandi occasione remoti vivunt, facile servant praecepta, modò mediocrem curam adhibeant, etsi ferventibus charitatis exercitiis non inflammentur. Hoc autem clarè probat, onus legis Christianae, per se consideratum, non esse grave, sed leve, quia ordinaria auxilia gratiae ad illud delectabiliter ferendum abundè sufficiunt. Neque enim quemquam illorum de onere isto, tamquam de pondere vires superante, querentem audies. Qui verò pravis habitibus implicati sunt, magnum onus sentiunt, non quòd res ipsae sint difficiles, sed quia iam illas facere non possunt, nisi vitiosas suas inclinationes frangant, quod absque luctu non fit. Verùm istiusmodi difficultates non à rebus praeceptis sed à pravâ ac voluntariâ hominum dispositione proveniunt, quae proinde in legem ipsam, ad quam per accidens se habent, transcribendae non sunt, cum nulla lex tam suavis excogitari possit, quae difficultatibus istiusmodi non sit obnoxia.

Hoc experientia fidelium legem servantium constat.

Exemplo à Mercoro & Celladeo allata sunt incongrua.

47. Celladeus ergo, Mercorus, aliique, qui hujusmodi exempla ad legis difficultatem arguendam afferunt, indebitè arguunt, quia ponunt exempla, quae sicut per accidens se habent ad legem Evangelicam, ita ad rem praesentem non faciunt. Certè de fide est, legem Christi esse onus leve, & mandata ejus non esse gravia, & tamen in illis circumstantiis, per accidens se habentibus, nil est per quod onus illud leve fiat, nisi recurramus ad gratiae miracula, quibus omnis paenae ac voluptatis sensus hebetetur. Difficillimum enim est in diuturnis tormentis fidem fateri, & pauci sunt, qui, demptis extraordinariis illis auxiliis, non cedant, quod profecto arguit, onus illud esse gravissimum.

48. Dices: nonne est gravissimum onus peccata gravia, secreta, & pudenda alteri confiteri?

Respondeo primò, difficultatem hanc, quae tandem sit, per accidens se habere ad legem Christi, omnes enim per baptismum integram peccatorum remissionem consequuntur, simulque gratiam recipiunt, quae absque magna difficultate in futurum peccata vitare possunt. Quare si quis Deum deserat, atque per suam culpam difficultatem istam incurrat, non eam legi tribuat, sed sibi, qui eam propriis humeris imposuit.

Difficultas peccata confitendi per accidens se habet ad legem Christi.

Respondeo secundò, Confessionem peccatorum non esse onus grave homini per fidem apprehendenti, confusionem aeternam inevitabiliter sibi imminere, nisi exiguam ac momentaneam confusionem subeat confitendo homini, Dei vicario, peccatum suum in hac vita. Alia etiam media suppeditat fides, quibus Confessio facilitatur, maxime si spes etiam accedat. Sed & Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. de hac re loquens, haec habet. *Ipsa verò hujusmodi Confessio difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravii quidem videri possent, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quae omnibus dignè ad hoc sacramentum accedentibus, per absolutionem certissi-*

Onus Confessionis simplicitet non est grave.



mè conferuntur. Ecce Tridentinum facilitatem hujus præcepti, quod aut difficillimum, aut ex difficillimis est, in spem commodorum per abolutionem obtinendorum rejicit. Errat proinde Celladeus, ac Tridentino repugnat, dum contendit levitatem legis Christianæ non in aliud refundi, quàm in fervens ac frequens charitatis virtutumque exercitium. Certum enim est difficultatem hujus præcepti aliunde tolli, cum peccatores ante Confessionem ferventi frequentique charitatis virtutumque omnium exercitio raro aut nunquam se exercent. Atque hinc confirmatur, quod dixi de experientiâ levitatis legis Christianæ. Certè onus Confessionis, etsi videatur & sit unum è maximis, leve est, quia ab omnibus fermè, fide mediocriter instructis, in praxim reducitur. Hoc autem levitatem oneris probat.

Lex Christi levis est, comparatione legis Mosaicæ.

49. Hæ interpretationes, adjunctâ etiam experientiâ, probant legem Christi esse simpliciter, & absolutè onus leve; sed alii verba illa Christi non tam absolutè, quàm comparative accipiunt, & exponunt. Inprimis Cornelius à Lapide, græcâ lectione adjutus, dicit Jugum Christi dici suave, quatenus est commodum, humanum, ac benignum præ lege veteri. Est ergo lex Christi Jugum suave ac onus leve comparatione legis Mosaicæ. Primò quia pauciora & faciliora habet præcepta. Secundò quia præbet auxilia majora, quæ onus mandati valde alleviant. Jam Christus protulit ea verba Judæis, quos ad se vocabat, & verissimè dixit, *jugum suum suave esse, ac onus leve*, quia respectu legis veteris erat prorsus tale. Hoc sensu Hieronymus lib. 2. dial. adversus Pelagianos exponit hunc locum, dicens: *levia certum est dixisse Evangelii mandata ad comparationem superstitionis Judaicæ, in quâ varia ceremoniarum genera querebantur, quæ juxta litteram, & Apostoli Petri sententiam nullus poterat ex- plere.*

Alia, quæ legem Christi levem reddunt.

50. Deinde, alia legem Christi levem reddunt in comparatione legis Mosaicæ, quæ videri possunt apud Cornelium à Lapide, sed potissimum est, quòd lex Evangelica certissimâ & explicatâ incomparabilis felicitatis spe suorum sequacium animos attollat & recreet, cum lex vetus explicitè promitteret sola bona temporalia. Ad hanc causam Theophilactus respexisse videtur, dum tradit, præcepta esse levia propter superexcellentem retributionem, *etsi ad breve gravia esse videantur*, quod explicat illis locis Sacræ Scripturæ, quæ supra attuli ad assert. 6. Verùm istæ rationes & comparationes probant legem Christi non solùm relative, sed etiam absolutè, & simpliciter esse onus leve. Itaque & Theophilactus hîc, & Aug. supra citatus tam præsentem, quàm 6. assertionem suâ auctoritate corroborant. Jam Sacra Scriptura juxta P. P. ac Doctorum sensum accipienda & interpretanda est, qui quomodò contrarietur sententiæ rigidæ, mox dicitur uberiorius.

ASSERTIO XI.

*Rigida sententia absolutè repugnat duobus istis textibus, ex Sacrà Scripturâ allatis.*

Sententia rigida repugnat S. Scripturæ.

51. ASSERTIO hæc principaliter quidem intenta fuit in hæc quæstione, sed per modum Corollarii ex dictis sic probatur. Sententia rigida reddat mandata Dei simpliciter gra-

via, facitque onus legis grave, ut multis ostensum est. Ergo repugnat dictis Sacræ Scripturæ textibus, qui contrarium affirmant.

52. Et sanè summa difficultas sententiæ rigidæ ex eo etiam patet, quòd intoleranda videatur viris etiam probis, qui in omni virtute sese quotidie exercent. Novi ego viros Ecclesiasticos, qui absolutè dicerent, vix quemquam posse salvari, si sub præcepto teneremur eam sequi, seque tandem aut in dementia, aut in scrupulos intolerabiles necessariò lapsuros, si illam pro verâ haberent. Quid dicam de Confessariis? Complures audivi profitentes, se nulla ratione velle tale munus subire, nisi & se & alios juxta benignæ sententiæ præscriptum regulare possent. Idem ego de me ipso profiteor, nec dubito, quin Celladeus ipse, si Confessionibus excipiendis operam det, in praxi utatur benignâ sententiâ, quidquid in scriptis contra eam declamet. Ergo sententia rigida non solùm communitati ac plebi, ut ita dicam, Ecclesiæ, sed præcipuis ac omni virtute conspicuis est onus intolerabile.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

53. **O**B primò. Lex Christiana, si res præceptæ considerentur, est valde ardua ac difficilis. *Ardua est via, quæ ducit ad vitam.* Christo attestante. Sed & Psalmista ait, *propter verba laborum tuorum ego custodivi vias duras.* Ergo suavitas & levitas legis Evangelicæ defumi nequit à rebus ipsis, quæ præcipiuntur. Talis enim suavitas Mahumetanismo ac Lutheranismò convenit. Et sanè difficultas legis Christianæ est principium per se notum, & ut tale assumitur ad probandam evidentem credibilitatem fidei nostræ, quippe quæ præscribit res ad credendum obscuras, ad sperandum arduas, ad operandum difficiles, carniq; ac sanguini repugnantes. Immodè illi ipsi, qui in materiâ de fide hæc tradunt de lege Christianâ, in præsentî quæstione, sui immemores, sibi contradicunt, dum ex levitate legis Evangelicæ satagunt probare, usum opinionum probabilem esse licitum. Quid plura? Quæstio hæc olim in terminis à S. Hieronymo discussa & terminata fuit, lib. 2. dial. contra Pelagianos, ubi probat legem Christianam esse adeo difficilem, ut absque gratiæ auxilio, onus minventè & omnia dulcorante, fervari non possit. Ita Celladeus lib. 1. quæst. 2. ubi Hieronymum aliosque SS. Patres citat, & ex illis benè probat, (quod nemo Catholicorum negat) legem Christianam virtutum omnium, potissimè verò charitatis ferventis exercitio reddi levem & suavem.

Lex Christiana unde & cuius difficultas.

54. Respondeo, hoc ultimum ex Divo Hieronymo contra Pelagianos abs re assumtum esse argumento præsentî; illi enim impiè asserbant, naturam humanam primi parentis peccato in nullo læsam fuisse, sed ex se sufficere ad omnia præcepta implenda, & beatitudinem consequendum. At omnes Catholici agnoscunt, naturam humanam adeo læsam ac debilitatam fuisse ex lapsu Adami, ut absque adjutorio gratiæ nullo modo possit meritorie operari, aut legem diu servare, vel gravibus tentationibus resistere, &c. Hæc certa sunt, sed ad præsentem quæstionem nil conducunt, quia quando Christus dixit, *jugum meum suave est, & onus meum leve*, & quando S. Joannes pronunciauit: *mandata ejus gravia non sunt*: non in Pelagianorum, sed in Catholicorum sensu locuti sunt. Eodem cum illis sensu loquimur nos, qui status distinximus, quibus lex Evangelica

Celladeus abs re citat Hieronymum.



lica levis est, & quibus difficilis ac importabilis. Hoc si Celladeus, ut oportebat, praestitisset, nunquam talia objecisset.

55. Respondeo secundò, cum Augustino sermone 47. de diversis, cap. 1. omnes illos textus, tam efferentes difficultatem, quam extolentes facilitatem legis esse verissimos, sibi què in nullo contradicere, quidquid enim durum est in preceptis, ut sit levis charitas facit; sicut alia multa, nominatim fides & spes, ut ex eodem Augustino, Theophylacto, & aliis ostensum est. Itaque eadem lex, quæ carni & sanguini dura est, & à naturà lapsa importabilis, eadem gratiæ, fidei, ac spei, & potissimum perfectæ charitati levis est.

56. Cæterùm Celladeus immeritò fugillat Auctores, quos tanquam sui immemores, sibi què contradicentes inducit; perspicuum enim est, nullam nisi somniam & fictam contradictionem in illis assertis contineri. Solùm enim asserunt, legem Christi carni ac sanguini, hominiquè inferiori esse difficilem, naturæ què corruptæ sibi reliquæ importabilem. Hoc tamen non obstante, omne genus hominum legem illam acceptavit, illiusquè vigore mundana omnia contempsit, atque in praxim reduxit, quæ naturæ ipsi repugnant, viribusquè naturæ sunt impossibilia. Hinc evidenter sequitur, credibile esse, quod Doctrina Christiana, Deo auctore, nobis tradita fuerit, cum sit incredibile tales effectus à naturà contra ipsam naturam provenire potuisse. Quid hoc discursu efficacius dici potest ad evidentem fidei credibilitatem comprobandum? Hæcenus Auctores illi comparant legem Christianam cum naturà lapsa secundùm se; & si ita velis, summam legis difficultatem tanquam principium per se norum adhibent. At idem Auctores, quando comparant onus legis Evangelicæ cum naturà reparatâ, instructâ per fidem, roboratâ per spem, & ordinariis gratiæ auxiliis adjutâ, dicunt onus legis non esse grave, sed per se loquendo facile; in quo nec est, nec esse potest vel umbra contradictionis, cum affirmatio & negatio difficultatis in lege contentæ referantur ad diversa, ut patet.

57. Reprehendus ergo est Celladeus, quod contra asserta tam perspicuè sibi coherentia insurrexerit, illaque sibi contradicere asseruerit. Reprehendus etiam est, quod ob indistinctionem ac æquivocationem terminorum ista objecerit; usus enim est terminis relativis, grave & leve, absque determinatione statû ac virium, in ordine ad quas tales denominationes conveniunt, & ab Auctoribus, quos immeritò reprehendit, referuntur. Reprehendus est tertio, non solum quod dixerit, legem esse difficilem secundùm se, cum nil sit aut esse possit difficile, nisi relatè ad aliud, ut constat, sed vel maxime quod dicat, præcepta levia Mahumetansimo, non Evangelio convenire. Non ita est. Celladeus, lex quidem carni ac sanguini consentanea à Mahumetanis traditur, qui propterea tanquam Epicurei à probis contemnuntur. At lex Christiana fidelibus simpliciter levis est, sed sanctissima, carni què ac sanguini contraria. Itaque similitudo illa abs re, & absurdè adjecta fuit argumento.

58. Ob. secundò. Absurdum & peccaminosum est eo consilio de moralibus scribere, aut aliorum opiniones taxare, ut via salutis reddatur facilior aut durior. Absurditas ex eo patet, quod hæc non magis sit in potestate nostrâ, quam motus Cælorum. Peccatum ex deordinatione

K. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

consilii contra supremum Dei Dominium & præzimi bonum ostenditur. Ita Celladeus §. 1. in fine.

Respondeo, leges Dei per se obligantes, quoad realem earum existentiam, à nostrâ libertate non pendere, quæ proinde à nobis augeri, vel minui non possunt. At leges & obligationes, quæ se habent per accidens, augeri minuiquè possunt per homines. Nomen Christus ipse testatus est, Scribas & Phariseos onera gravia & importabilia hominum humeris imposuisse? Ecce motus cælorum non erat in potestate Scribarum, in eorum tamen potestate erat, obligationes augere, & viam salutis difficiliorem reddere, quia falsis & rigidis suis interpretationibus persuadebant populo, leges Dei ad ea obligare, quæ Deus non prohibuerat. Effecerunt ergo, ut populus formaret sibi conscientiam erroneam de obligatione, ubi nulla erat obligatio. At hoc est obligationes augere, quia omnes tenentur ad non contraveniendum conscientiæ, etiam erroneæ. Similiter obligationes à Deo intentæ, per accidens & quoad nos minui possunt; si nimirum Pastores animarum ex ignorantia, vel malitiâ detineant populum in ignorantia invincibili talium legum. Quæ cum sit tam clara, miror Celladeum dixisse, hæc non magis esse in potestate nostrâ, quam motus cælorum.

59. Hoc posito. Esto, sit peccatum scribere eo consilio, ut obligationes certò existentes, à Deo per se intentæ augeantur vel minuantur, etiam quoad nos & in opinione nostrâ, ut hæc ratione via salutis reddatur facilior aut difficilior: non tamen est peccatum scribere, aut aliorum opiniones taxare, ut augeantur vel minuantur obligationes, quæ per accidens se habent, & aut in errore fundantur, aut absque sufficienti fundamento in homines conjiciuntur. Christus ipse exemplum præbuit, omnesquè Pastores, zelum animarum habentes, ipsum secuti clamant contra eos, qui populum in errore detinent, aut absque sufficienti fundamento gravant; sive error ille augeat, sive minuat obligationes, quia Deus eos ad veritatem ipsis aperendam obligat, &c. Itaque in his casibus non est peccatum scribere, vel taxare aliorum opiniones, ut via salutis facilior aut difficilior reddatur, sed è contrario sæpe est peccatum hæc omittere. Adeo debilia & à veritate aliena sunt, quæ Celladeus, ut validissima & per se nota objicit.

60. Nos ergo non scribimus, ut obligationes per se existentes, & à Deo certò intentæ augeantur vel minuantur, hoc enim severissimè prohibetur Deuteronomio 4. Apocal. 22. sed eo fine scribimus, ut sciamus quæ præceperit, quæ permiserit Deus. Multa invenimus certò prohibita, multa certò permissa. Alia reperimus, de quibus probabile est, quod non sint prohibita. De his dicimus, talia non esse omnibus prohibita, sed illis solis, qui aut manent in dubio, aut credunt illa esse vetita. Probamus enim eum non peccare, qui bonâ fide facit id, quod rationabili ac prudenti judicio credit omnibus esse permissum. In hoc docendo nullum est peccatum, aut peccati periculum magis quam in opposito, utrimque enim in ancipiti versamur, ne conscientias nimis laxemus, aut easdem indebitè stringamus. Ergò neutra pars excusatur, nisi rationaliter suam sententiam proferat. Nos, omnibus inspectis, invenimus nullam in hoc casu obligationem urgere; è contrario, videntes oppositam opinionem absque sufficienti fundamento con-

K 3 scientias



scientias arctare, præcepta multiplicare, viamque salutis difficiliorem reddere quam par est, dicimus & probamus, sententiam illam pro conscientia regulam admitti non debere.

Nil legi diviã addendum aut detrahendum est.

61. Ob. tertio. Esto, sententia rigida reddat viam salutis difficiliorem, benigna verò faciliorem, adhuc periculosum est ex hoc titulo obligationes addere vel minuere, quia hoc ad nos non pertinet. Deinde si hoc argumentum valeat, plura præcepta difficilia tolli possent, quia sic lex facilior redderetur. Demum *Deuter. 2. 4.* expressè prohibetur, ne quid addatur, vel detrahatur præceptis Dei: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ab eo.* Item *Apocalip. 22. 18.* hæc habentur. *Si quis appoverit ad verba hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro hoc. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetie hujus, auferet Deus partem ejus de libro vite.* Idem valet de quibusvis partibus Sacra Scriptura, præceptisque divinis. Ita Celladeus §. 1.

Respondeo, omnia ista à fortiori objici posse contra Celladeum, qui singulari sua opinione communem Doctorum Ecclesie opinionem, communemque fidelium praxim condemnat. Ceterum argumentum haud dubie non valet, quia admissio antecedente, quod scilicet sententia rigida augeat præcepta ultra mensuram à Deo stabilitam, aut quod legem Christi ipsis fidelibus reddat valde gravem & importabilem, rectè concluditur, Deum usum talis opinionis non præcepisse, ac proinde opinionem illam esse falsam. Non tamen ideo manuducimur ad minuendas obligationes à Deo institutas, sed solum ad cognoscendum, quod Deus obligationem à tali sententia assertam non instituerit, quamvis per hoc ipsum tollamus obligationem gravissimam, quam rigida sententia, præter Dei intentum, imponit in humeros hominum. Jam ergo ad nos pertinet hujusmodi obligationes minuere, ut proximè dictum est *ad 2.* similiter in dubiis nostrum est veritatem investigare, & conscientiam juxta rationabilem ac prudentem questionis decisionem formare, quamvis per hoc ex accidente contingat, legem, quæ ex directo Dei intento debebat omnes arctare, ob defectum applicationis seu promulgationis, vel ob ignorantiam invincibilem ipsius, aut ob alias præsumptiones hæc & nunc non obligare.

Aliquando pertinet ad nos obligationes hominibus impositas minuere.

62. Auctoritates, ex sacra Scriptura allatæ, ad questionem præsentem non pertinent, quia solum intelligi possunt de rebus quodammodo certis & indubitatis, non autem de rationabilibus dubiis circa legem ipsam exortis; illa enim necessariò determinanda sunt, ut lex servetur incolumis, siquidem par periculum est addendi, si pars tutior admittatur ut præcepta, ac minuendi, si pars minus tuta habeatur pro non præcepta. Ergo lex ista, ne sibi contrarietur, intelligi debet de certâ, aut certè de irrationabili ac temerariâ additione ac diminutione. Ergo necessariò admittit rationabilem dubiorum determinationem. At præsens questio versatur circa res incertas, & supponit utramque partem esse probabilem, veritatemque certè sciri non posse. Ergo in talibus necesse est locum dari interpretationi, illamque, si sit rationabilis, pro conscientia debite formandâ sufficere. Textus ergo isti non improbant, sed comprobant benignam sententiam, ostenduntque illius usum esse licitum.

63. Sed quid? Sequiturne ex hoc arguendi modo, plura præcepta difficilia tolli posse, ut

lex Christi facilior evadat? Ita quidem dicit Celladeus, sed ne verbum ad id probandum affert. Nos dicimus, sententiam rigidam admitti non debere, quia onus legis ultra debitum auget, illudque reddit importabile; cum tamen constet illud esse leve. Rursus dicimus, in incertis leges obligare non posse, quæ omnia vera sunt. At hinc non sequitur, præcepta certa auferri posse, ut lex facilior evadat; cum enim certum sit, viam salutis juxta leges certè latas talem determinatam difficultatem habere, ex hoc nullum medium afferi potest ad probandum, talem determinatam legem non existere, eò quod, si non existeret, lex esset facilior quam est, quia non debet esse facilior; Deus enim hanc determinatam difficultatem instituit, quam proinde nulli licet imminuere. Pudet hæc prosequi, sed aliquid dicendum fuit, ne dictum illud Celladei incautos deciperet, magnique periculi speciem excitaret, ubi nullum est periculum.

64. Ob. quarto. Opinio benigna facit hominem litigare contra Deum, ac possessionem libertatis, alia contra legis obligationem allegare, sicut homo facit, quando contra hominem litigat. Ergo benigna sententia difficilia reddit Dei præcepta. Dura enim nobis sunt & gravia, quæcumque non nisi per vim manifestæ probationis coacti acceptamus. Rursus eadem sententia respicit præcepta Dei tamquam odiosa, ideoque restringenda. At hoc est irrationabile, quia mandata Dei sunt maxima beneficia, juxta illud *Psal. Non fecit aliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Ergo benigna sententia est irrationabilis. Ita Celladeus §. 4.

Obiectio 4.

Respondeo primò argumentum nimis probare; si enim mandata Dei nunquam respici possent ut odiosa, sed absque probatione cogente admitti deberent ut beneficia, non obstante possessione libertatis, &c. sequeretur, nullam dari posse doctrinam eo capite rejiciendam, quod præcepta multiplicet, & viam salutis difficiliorem reddat. Tali enim de causâ repelli nequit, nisi mandata illa respiciantur ut odiosa, & nimis gravantia. At certum est sequelam esse falsam. Ergo certum etiam est, Celladeum falsum esse in antecedente, ex quo consequens tam absurdum inferitur.

Aliqua Dei & Ecclesie præcepta respici possunt ut onerosa.

Respondeo secundò, homines sæpe rationabiliter respicere in obligationes, etiam certas, tamquam in onera, quæ mitigari, aut etiam auferri cupiunt & procurant. Quot, quæso, reperiuntur, qui votorum, juniorum, aliarumque obligationum relaxationem enixè petunt? An omnes isti irrationabiliter agere dicendi sunt? Nil minus. Qui enim in earum observatione magnam experiuntur difficultatem, & vident se latiori ac laxiori corde Deo servituros, si tali onere leventur, prudenter relaxationem petunt. Præterea si relaxatio semper irrationabiliter peteretur, ea nunquam concedenda esset, ut patet. Conceditur autem aliquando & quidem rationabiliter. Ergo homines non imprudenter respiciant tales leges ut onera.

65. Quid quod superiores ipsi, qui dispensant, magnum beneficium se præstare autumant. Nonne Pontifex beneficium se fidelibus conferre arbitratur, quando Jubilæum, aut alia indulta, & dispensationes concedit? Non sum, qui putem, Hispanos, viros doctissimos juxta ac maxime probos, Celladeique contribules, ægrè ferre, quod communis rigor abstinendi à carnibus die Sabbathi ipsis relaxatus sit. Certè & qui concessit,

Qui dispensant beneficium præstant, & qui dispensantur beneficium recipiunt.



cessit, & qui receperunt illam relaxationem, legem communem ut onerosam respiciebant. Fortasse plurimi eorum, debitam ad Deum reverentiam, illud sibi applicant. *Non fecit taliter omni nationi.* Nonne Naaman Syro, qui infidelitatem jam exploserat, durum est visum, si sibi non liceret regem suum comitari, ejusque brachium fulcire, & eo flexente flexere, etiam quando falsos Deos adorabat? Nonne dispensationem super hoc, mediante Elifæo, à Deo petiit, & obtinuit? non sic egisset Celladeus, sed si propria principia secutus fuisset, onus oneri imposuisset, Naamanque persuasisset, hoc reliquis præceptis additum esse facilius, nec ulla Dei mandata respici debere tamquam onerosa. At sapiens Propheta aliter se gessit. Sed & Christus ipse *Matth. 19.* supponit, facultatem dimittendi uxores, dando illis libellum repudiij, à Moysæ concessam fuisse favorabilem, & legem contrariam duris Judæorum cordibus futuram fuisse oneri. Non ergo absurdum est, hominem fragilem, paucisque difficultatibus facile terribum, aliqua Dei & Ecclesiæ præcepta respicere ut ipsi aliquo modo onerosa, & periculosa, quia in illis servandis difficultatem sentit.

Naaman Syrus respexit Deilegem ut onus, & dispensationem obtinuit.

Christus dispensationem favorabilem fuisse judicavit.

Præcepta incerta merito respiciuntur ut odiosa & sine coercitione non admittuntur.

66. Respondeo tertio, quidquid sit, an præcepta indubitata respicienda sint ut onerosa & quodammodo odiosa, certum est, præcepta incerta merito respici ut talia, maxime quando probabile est, illa non dari, aut certe non urgere; tale enim præceptum justè repellitur tamquam onus, cum, si admittatur, ita libertatem ardeat, ut opus absque peccato poni non possit; sæpe autem multis de causis sollicitamur ad illud ipsum ponendum; & fieri vix potest, quin tale præceptum communitati hominum fragiliam non sit offenculo. Itaque talia præcepta nec debent, nec possunt merito respici ut beneficia, maxime respectu communitatis; nec ex admitti convenit ut omnes obligantia, donec sufficienter constiterit, Deum velle illa ab omnibus observari. Et hoc est, quod benigna sententia docet.

Lex esset favorabilior si aliqua præcepta fuissent solam cõsilia.

67. Palmi locus solum indicat, Deum singulariter favere illi nationi, cui legem dicitur, quod verum est, quamvis multa sint in lege, quæ relicta tamquam cõsilia, non proposita ut præcepta, onus legis sublevasent, ut constat ex lege Mosaicâ, quam nemo negaverit fuisse observatu difficilem, idque ob multitudinem præceptorum, illorumque difficultatem. Fuisset ergo observatu facilius, & fortasse majus beneficium, si pauciora, & minus gravia præcepta habuisset. Nihilominus tota lex simul sumpta est maximum beneficium, quia per illam homo dirigitur ad vitam æternam. Alii autem, quibus Deus nullam legem præscribit, in deteriori conditione versantur, ut patet.

INCREDIBILE CELLADEI

Paradoxum refutatur.

68. **O**B. quinto. Minuere obligationes non faciliat, sed difficultat onus legis Evangelicæ. Ergo ex eo, quod jugum Christi sit suave, non sequitur obligationes esse minsendas. Ex nullo enim antecedente vero inferri potest consequens antecedenti repugnans. At ablatio obligationum repugnat cum suavitate jugi Christiani, quia illud difficultat. Ergo ex illo antecedente non sequitur præteritum consequens, nempe, usum cujusvis opinionis certo probabilis esse licitum. Antecedens probatur exemplis,

experientiâ, & ratione. Incipio ab exemplis. Equus facile trahit vehiculum onustum, si rotæ adjiciantur, quod sine rotis movere non poterat, quamvis rotæ adjectæ pondus trahendum augeant. Similiter pennæ avium pondus augent, & tamen volatum faciunt. Idem valet de lege Christi. Audiatur Augustinus *serm. 22. de verbis Apostoli.* *Hæc sarcina gravis est, fides, spes, charitas? Iste enim humilem, iste mitem reddunt. Et vide, quia oneratus non eris, si ipsum audieris. Jugum enim meum lene est, sarcina mea levis. Quid est, levis est? Quid si habet pondus? sed minus. Plus habet avaritia, minus justitia. Nolo sic intelligas. Hæc sarcina non est pondus onerati, sed ala volaturi. Habent enim & aves pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? portant illas in terris, portantur ab illis in cælo. Si misericordiam velis præbere avi, præferam estate, & dicas, miseram istam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terrâ remanebit, cui subvenire voluisti. Porta ergo pennas paci: alas accipe charitatis; hæc est sarcina, sic impletur lex Christi. Similiter S. Bernardus *Epistola 32.* *Nam ut omnino simus inexcusabiles, in viâ vite, quò citius, eò facilius curritur, & leve salvatoris onus quò crescit amplius, eò portabilius fit, &c. quia portat potius quàm portatur. Exempla ista, & tantorum Patrum auctoritas evincunt, legem Christi obligationum diminutione fieri graviolem, earumque adjectione evadere leviolem.**

Adjectio majoris ponderis ali-quandored-ut onus le-vius.

69. Experientia id ipsum confirmat. Qui virtute præditi facilius se exercent, facilius servant legem, & rarius labuntur in peccata mortalia, quàm qui non adeo multum virtutibus se exercent, sed eò tendunt, ut gravia peccata vitent. Hoc indicat, legem posterioribus esse graviolem, leviolem prioribus. Nonne Religiosi plura onera habent, quàm sæculares? quis tamen negaverit, Religiosos facilius ferre omnia sua onera, quàm sæculares? ecce experientia ipsa evincit, legem obligationum additione fieri leviolem, earumque ablatione graviolem evadere.

Virtute præditi facilius portant onus legis, quàm alii.

70. Demum ratio evincit id ipsum. Lex Christi multa præcipit carni & sanguini valde repugnantia, & consequenter difficilia, quæ tamen virtutum, & potissimè charitatis exercitio reduntur facilia, ut PP. asserunt, & experientia confirmat. Ergo qui aufert obligationem charitatis & virtutum, non minuit, sed auget difficultatem legis, quique dictam obligationem aufert, legem faciliat, quamvis numerum præceptorum augeat, quia ille aufert, hic ponit ipsam legis observandæ facilitatem, quæ in virtutum, ac potissimum in charitatis exercitio consistit.

Aliquando facilius est servare cõplexum totum, quàm unam partem sine alia.

Rursus, *facilius est, inquit Chysostronus, servare utrumque, scilicet neque videre neque adulterare, quàm videndo non adulterare.* Hinc sic arguo. Vel tota lex obligans, sumpta sine considerabili dilectionis affectu (ad quem multi putant nos raro obligari) est servatu facilius, quàm cõplexum ex totâ lege & affectu illo charitatis, vel non. Non primum, quia & experientia, & auctoritas SS. repugnat. Ergo secundum. Ergo lex additione obligationum evadit facilius.

71. Demum Tridentinum *sess. 6. cap. 11. hæc* *habet. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possit, & petere quod non possit, & adjuvat ut possit, cujus mandata gravia non sunt, &c.* Ecce Tridentinum, ut ostendat unde præcepta Dei fiant facilia, supponit orationem aliquando necessariam esse ad Dei legem servandam, cum

Oratio necessaria est ad legem implendam.



sine illâ aliquid supponatur esse nobis impossibile. Et sanè hic ordo, ex Evangelio desumptus, per nostras opiniones immutari nequit. Ergo aliquando aliquid non possumus, nisi petamus, & petita obtineamus. At secunda & audienda petitio multa requirit difficultia, etiam assuetis orare; ac proinde inassuetis difficillima. Debitè autem, & quâ par est instantiâ ac fiducia petere difficillimum est ipso pugnae tempore. Ergo deobligare à frequenti exercitio orationis non est legem faciliorem, sed difficiliorem reddere. Ergo quando quaeritur, an quotidie orare teneamur, incongruè solvitur quaestio, dicendo, nos non tam frequenter ad id teneri, quia id esset nimis grave. Nam è contra durissimum esset hæc tempora præterire, & tunc solum tepidos ad orandum obligare, quando vehemens tentatio urgeret, quo tempore ferventes ipsi vix sibi constant. Nõne hoc esset homini misero, qui unâ gravi tentatione tantum non obruitur, aliam gravem obligationem debitè orandi tunc imponere? Certè hoc non est benignè sed rigidissimè sentire in ordine ad sublevandum onus talis hominis. Qui enim unam legem servare vix potest, quomodo duas implebit? Ita Celladeus *quest. 2. à §. 3. usque ad finem*. Ubi diffusissimè tractat hoc argumentum, & in eo tamquam in re nimis patenti gloriatur. Unde infert, plures opiniones de occasione proximâ, quæ benignæ dicuntur, non esse benignas, sed rigidissimas, quod & experientia probat, quia difficile ac rarum est, hominem in eis non labi.

Paradoxum hoc ut jacet Christi verbis contrahitur.

72. Respondeo, paradoxum hoc, sicut primo aspectu apparet incredibile, ita examinatum ex omni parte reperitur indigestum, ac falsum. Inprimis peto à Celladeo, an existimet, hoc argumentum probare, nullam præceptorum additionem, nullamque opinionum rigorem reddere posse legem gravissimam & importabilem? Si firmet, errat & adversatur Christo arguenti Aristos, quod onera importabilia hominibus imponerent. Si neget, frustra vitur hoc argumentum ad probandum, quod benigna sententia legem Christi difficiliorem reddat, quia nil est in argumento isto sub generalibus terminis contento, ex quo, stante exceptione propositâ, potius inferri possit, opinionem benignam quam rigidam contineri in numero earum, quæ legem reddunt graviorem. Immo si hæc duæ opiniones invicem comparentur, apertè sequitur, rigidam opinionem legem gravare; quia si ulla opinio directa est nimis rigida, illa profectò, quæ omnium talium opinionum rigorem reflexè approbat atque in se continet, est rigidissima, legemque reddit graviorem. Talis est sententia Celladei, ut patet. Ergo illa est quæ aggravat. E contrario benigna sententia, huic contradicens, non potest non onus alleviare, quatenus corrigit opinionem nimis gravantem.

Argumentum in Celladei nimis probat.

73. Respondeo ergò secundò, argumentum nimis probare, quia, ut jacet, tendit ad probandum, legem per nullam præceptorum additionem fieri posse graviorem, quod certè falsum esse constat ex verbis Christi. Præterea, si Ecclesia, aut superior omnibus præciperet rigidissimum toto anno jejunium, sævam ac quotidianam verberationem, devotissimam plurium horarum flexis genibus, ac junctis manibus meditationem, aliisque plura istis simillima, legem conderet observatu difficillimam, paucique ex totâ hominum collectione eam servarent, aut etiam moraliter loquendo servare possent. Ecce aliqua præcepta,

aliis juncta, reddunt legem difficillimam. Ergo non omnis, sed ad summum aliqua tantum legum adjectio potest onus alleviare. Sed quanam illa? Dicit fortasse Celladeus, illam obligationem hoc præstare, quæ charitatis virtutumque omnium exercitium præcipit, quia charitas omnia dulcorat, & exercitium virtutum efficit, ut promptè & delectabiliter operemur. Sed contra primò, quia omne præceptum ad alicujus virtutis exercitium obligat. Ergo si obligari ad virtutis exercitium onus alleviat, nullum non præceptum onus alleviabit. At hoc est certò falsum. Ergo argumentum ne quidem hoc modo sumpum subsistit. Contra secundò, distinguendum enim est inter hæc duo. *Charitas, aliæque virtutes alleviant onus, si exercentur. Obligari ad frequens & fervens charitatis & virtutum omnium exercitium, etiam pro priori antequam exercentur, alleviat onus & obligationem.* Primum est verum, quia tales minus onus sentiunt, quam alii, aut quam ipsimet ab initio. Secundum falsum est, ut experientia demonstrat. Paucissimi enim sunt, qui hæc faciunt; quod si raritas difficultatem arguat, ut Celladeus ex Hieronymo contendit, manifestum est, valde difficile esse ferventi perfectoque amo. Deum diligere, sequè omni virtutum exercitio excollere, quia paucissimi hoc præstant. Præterea ratio id ipsum evincit, alioquin obligari ad Deum centies de die perfectè amandum super omnia, &c. non esset onus grave. At hoc est falsum. Ergo non solum universaliter, sed etiam in omni particulari materiâ falsissimum est, quod obligationum additio legem reddat leviozem.

Equivocatio Celladei.

In omni materia additio obligationis auget onus.

74. Respondeo tertid. Si hæc doctrina esset vera sequeretur, leges innumeras de rebus perfectissimis prudentissimè addi posse ac debere, quia per hoc lex evaderet facilior, & gloriæ abundantioris consecutio certior. Profectò superiores, quorum curâ subditi ad æternam felicitatem dirigendi sunt, munere suo præclarè fungerentur, si leges ejusmodi quamplurimas conderent, cum nil fini obtinendo conducibilius facere possent. Nec quisquam de tali superiore conqueri posset; nemo enim de eo queritur, qui onus ferendum alleviat.

Prudentia esset leges gravissimas multiplicares, si Celladei paradoxum subsisteret.

Præterea unusquisque privatâ lege per votum prudentissimè se obligaret ad innumera, eaque strictissima & perfectissima; quia hæc ratione legem redderet faciliorem, certiusque vitam æternam consequeretur. Cur ergo Celladeus voto se non obstringit ad mille actus contritionis quotidie eliciendos? cur quotidie non jejuna, omni que mortificationis genere ex voto se exercet? Si hæc durum legis onus levem sarcinam reddant, cur illa non præstat? Quid plura? omnes prudenter sectarentur S. Theresiam, votoque ad optima semper faciendâ se obstringerent, idemque aliis rationabiliter persuaderent, si Celladeo credimus. Hæc, aliæque ejusmodi absurda innumera ex hæc Celladei doctrinâ inevitabiliter sequuntur, si illa, prout jacet, & ab illo exposita est, accipiantur. Sed ad singula, quæ profert, respondeamus.

75. Rotæ vehiculo, & pennæ alis avium debite applicatæ motum quidem faciunt, sed longe aliter, quam putat Celladeus, qui hæc rudimentum & ad vulgi captum explicatione proponit. Duabus de causis rota tractionem faciliat; prima est, quia rota in exiguâ tantum parte tangit pavementum, cum traha sine rotis magna sui parte terram premat, nec trahi possit onus, nisi omnes inæqualitatum occurrentium prominentiæ frangantur,

Rotæ & pennæ curvationem oneris faciliat.



gantur, quod sine magnâ vi fieri non potest. Minor ergo vis requiritur ad pondus trahendum, si vehiculum rotis imponatur, quia pauciores inæqualitates pavimenti sunt contendendæ. Secunda ratio, quia rota habet rationem vectis, ratione cuius non est necesse, ut scabrities & inæqualitas pavimenti frangatur, sed pondus unâ cum rotâ supra illud atollitur, sicut pondus per vectem movetur circa Hypomochlium. Atque hinc quò rotæ sunt majoris diametri, eò magis, cæteris paribus, motionem faciunt, quia proportionaliter ad suam altitudinem vectis rationem adaugent.

Rotæ alii quando difficultant lationem oneris.

Pondus rotarum semper impedit, nunquam juvat lationem oneris.

76. Ex hac rotarum constitutione sequitur primò, illas plerumque plurimum juvare motum & lationem vehiculi onusti; jvant enim, quando pavementum durum est, pressioniq; rotarum parùm cedit. Sequitur secundò, rotas sæpe nocuimento esse ad ferendum pondus; si enim latitudo rotæ sit exigua, & per loca paludosa, aut per lutum profundum & crassum incedendum sit, rotæ nimium immerguntur; unde cum ratio vectis imminuatur, & innumera partes glutinosæ ex omni parte rotæ adhaereant, vehiculum rotis innixum difficilior trahitur, quàm si instar trahæ semipaludosis illis glebis incumberet. Sequitur tertio, rotas, si sint nimis crassæ ac ponderosæ, quales esse ut magnæ ac late rotæ plumbeæ, non facilitare sed impedire motum, maxime quando pondus ferendum est exiguum, quia ipsæ per se vix moveri possunt. Sequitur demum, pondus rotarum semper impedire, nunquam facilitare motum, quamvis rotæ aliquando motum adjuvent; si enim haberemus rotas levissimas, imò si fieri posset, omni pondere carentes, illæ cæteris paribus præferendæ forent; quia omni ex parte motum facilitarent, cuiq; suo pondere non impedirent. Verùm quia rota fortis & valida absque pondere haberi non potest, ideo necesse est pondus ponderi addere, ut totum facilior trahatur mediantibus rotis, quàm trahi potuisset illis non mediantibus; non quia pondus adjectum tractionem facit, ut Celladeus inquit, hoc enim semper est falsum, sed quia res, cui pondus aliquod hic & nunc inhaeret, propter rationem vectis plus adjumenti tribuit ad movendum pondus, quàm impediendi afferat per pondus innatum. Itaque in casu rotæ, propositio illa: *pondus adjectum reddit totum facilior trahibile, quod esset pars sine compare*: in rigore semper est falsa, quia ratio facilitatis non consistit in adjectione ponderis, ut patet. Solum ergo vera est illa propositio in sensu materiali, quando non loquimur de ipso pondere, sed de re, quæ ponderosa est, quæq; per alia accidentia plus præbet adjumenti, quàm pondus impedimentum afferat.

G avitas pennarum non juvat volatum.

77. Idem proportionaliter dicendum de pondere pennarum, illæ enim non jvant motum, quia ponderosæ, sed quia cum exiguo pondere magnum vectem, avium viribus ac molis proportionalem, constituunt. Porro quia vis per vectem illum addita superat pondus pennarum, ideo pennæ volatum jvant. Cæterùm si pennæ nullam aut minorem gravitatem haberent, eò meliores essent, modo nullam longitudinis, figuræ ac duritiei jacturam facerent. Præterea si pennæ alarum aquâ aut alio corpore adscititio graventur, plurimum inde impediendi ayes sentiunt.

78. His constitutis, non sequitur ex istis exem. quodcumque præceptum aliis additum minuer. onus legis, sed oppositum evidenter

inferitur, si in paritate sistamus. Omne enim gravitatis additamentum, in eodem genere factum, motum difficultat. Onus vehiculo aut corpori avis additum non jvat, sed impedit motum. Rursus si rotæ ipsæ, aut pennæ sint graviores, cæteris paribus, minus jvant. Itaque ad summum sequitur ex hac paritate, jugum Christi illorum tantum præceptorum adjectione fieri levio- rem, ex quorum existentia semel admisa, vel plus difficultatis aufertur ab aliis præceptis, quàm novum mandatum continet, vel certè novæ vires in eâ copiâ adduntur, ut jam impletio omnium illorum præceptorum sit facilior & superabilior, quàm fuisset impletio parvis, si aliud mandatum non accessisset. At nil horum evenit. Primò per illorum præceptorum additionem nullæ vires novæ adduntur, ut patet. Deinde aliorum difficultates nondum minuuntur, sed solum difficultates undique accumulatur. Quamvis enim, si aliqua fiant, alia facilitentur, illa tamen non ideo simpliciter evadunt faciliora, quia ipsa media adhibenda sunt difficilia, & nisi ponantur, homo peccat, & ob peccatum debilitatur, multisq; auxiliis merito privatur, quas difficultates non incurrisset, si medium illud non ut præceptum, sed ut consilium propositum fuisset. Præterea hoc medium non facilitat, nisi diu ferventerq; exercitum fuit. At hoc ipsum valde difficile est, & illo habito, adhuc reliqua difficultatem continent. Ergo, omnibus inspectis, impletio legis facilior & superabilior est sine illo novo mandato per se difficili.

Paritates istæ evincit non omne additamentum obligationis alleviare onus.

79. Rursus, quamvis additamenta onerum aliquando facilitent ponderis lationem, id tamen non efficiunt, si additio illa sit exorbitans, & improporcionata indoli ac viribus agentium, quibus fit additio, ut videre est in nimia rotarum gravitate, ac improporcionatâ pennarum longitudine, &c. Ergo nisi præcepta alleviantia hanc proportionem servent, difficultabunt, non facilitabunt observationem legis.

Additio oneris non facit, si sit improporcionata viribus ferentis onus.

80. Quæ cum ita sint, ex omni parte non solum labitur argumentum Celladei, sed contra ipsum facit, quia illius sententia undique aggravat legem, cum in omnibus tam facilitantibus quàm non facilitantibus stringat, & ad opiniones rigidas sectandas cogat. Certum est autem, talem onerum additionem aggravare, non facilitare legem, quia gravamina cumulat, & vires ad ferendum non auget. Præterea ut paritas subsistat, præcisa præceptorum additio debet reddere onus ferendum levius, id enim in rotis evenit. At hoc non est verum ex mente Celladei, qui supponit facilitatem non nisi ex usu ferventique legum observatione provenire. Ergo per meram legum adjectionem onus non evadit levius, quamvis fiat facilior, si præcepta illa aliquandiu diligenter ferventur. At hoc idem evenisset, si absque novo præcepto illa opera redacta fuissent in praxim. Ergo quòd præcipiantur, non facilitat, sed difficultat legem. Et sanè quòd maxime facilitat præcepta est praxis consiliorum, & non nuda præceptorum observatio, ut patet, quia neminem fortè invenies, qui præcepta custodiat, absque eò quòd aliqua supererogationis opera exerceat. E contra, qui consilia sectantur, longè facilius servant præcepta, quàm alii.

Paritates istæ Celladeum erroris convincunt.

80. Demum præcepta facilitantia (si quæ sint) commensurari debent viribus communitatis. Hanc commensurationem solus Deus novit. Credibile autem est, Deum de facto omnia præcepta dedisse, in quibus hæc facilitas consistit, quæ

Solus Deus novit quæ præcepta facilitent legem.



quæ certè non in incertis, sed in legibus indubitatis fundari debuit; hoc enim ad Dei providentiam pertinere videtur, ne communitas notitiâ legum facilitantium careret. Jam qui taxam majorem statuit, onus & impedimentum adjicit, nam qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Proverb. 30. 33. Peto jam à Celladeo, quâ probabilitate dicere potest, quòd si alia præcepta certis istis & indubitatis adjiciantur, per hoc totius legis observatio facilius fiat? Unde probat, non tam illam adjectionem esse potius proportionatam, quàm improportionatam fidelium viribus? Quis illi dixit, sententiam rigidam, quam inducere conatur, esse præceptum illud viribus nostris adeo proportionatum, ut legis facilitas ab eo singulariter dependeat? Omnes alii dicunt contrarium, & probant quod dicunt; ille autem nil horum aut probat aut probare potest, cum tamen omnia & singula illorum probanda sint, tum ut argumentum, in ista paritate fundatum, ipsum joveat, tum ut quæstio undecumque tandem in favorem ipsius resolvarur.

Augustinus Celladeo non favet, sed nobiscum sentit.

82. Augustinus assertur quidem contra nos, sed nobiscum per omnia sentit, quia refert levitatem oneris Christiani in fidem, spem, & charitatem; quod ita verum est, ut tamen fides, & spes antecedenter ad charitatem omnia faciliant, ut expressè probat loco supra citato num. 18. & quidem ita de hoc loquitur, ut per ipsum exercitium harum virtutum, quæ exiguam difficultatem habent, alia reddantur facilia; non autem refundit hanc facilitatem in frequens ac fervens exercitium, ut sit facilitas quædam habitualis, sed in ipsum actum, quo intellectus illuminat voluntatem, & voluntas amat æterna præ temporalibus. Porro quod habet hoc loco, coincidit cum eo quod aliàs tradiderat; in hoc enim sermone aliud non contendit, quàm ostendere peccata & vitia esse sarcinas multò graviores onere legis Christianæ. Deinde probat, legem Christi, ejusque observationem esse facinram, sed levem; idque non esse impossibile ostendit exemplo penarum, quæ sarcina sunt, nec tamen impediunt volatum, sed juvant. Ita pariter fides, spes, charitas sarcina sunt, sed levis, quia gravissimo peccatorum pondere nos liberant, & ad finem ultimum elevant, & conducunt: sed esto, quod Augustinus dicit hoc loco, applicetur sarcinæ præceptorum certè obligantium, & sensus sit, quòd tota lex sit sarcina levis eam amplectentibus, & in eâ se exercentibus, meritoque comparetur non ponderi onerati, sed alæ volaturi; hinc certè non sequitur, opinionem rigidam aliis potius comparari debere, quàm ponderi. Quid ergo juvat Celladeum hic textus? Verùm aliter se res habet. Augustinus non solum loquitur de præceptis, sed etiam de consiliis, de quibus omnibus affirmat, quòd, si in praxim reducantur, sint instar alæ nos atollentis è terrenis ad cælestia, & consequenter reputari debeant sarcina levis. Præterea nos hic non agimus de facilitate legis, si servetur, sed ut servetur. Quamvis ergo hic locus probaret illam esse levem, si servetur, non tamen probat quòd sit levis, ut servetur. Verùm locus hic, sicut & alter à nobis allatus, probat utrumque, scilicet legem levem esse si servetur, & levem esse ut servetur; facile enim est credere & sperare; per fidem autem & spem omnia reliqua redduntur facilia, ut ex Augustino, & manifestè ratione ostensum est.

83. Verba Bernardi, ut sonant, videntur favere Celladeo, sed revera nullam difficultatem

habent; scribit enim ad Monachos S. Bertini, quos de disciplina observatione laudat, & ad fervorem hortatur. Dicit ergo Religiosorum pigritiam esse inexcusabilem, eò quòd pigri plus difficultatis sentiant, & minus meritum acquirant. Ad quòd declarandum attulit verba, à Celladeo citata, quibus similitudinem penarum adjecit. His prænotatis. Inprimis certum videtur, Bernardum loqui non tam de rigorosis præceptis, quàm de consiliis, quia & personæ, quas alloquitur, & modus illas alloquendi, totusque contextus hoc evincunt. At loquendo de consiliis verum est, quòd dicit, quia hoc onus eò portabilius evadit, quòd amplius crescit, modò incrementum intra mensuram discretionis continetur; indiscreta enim augmenti præscriptio nem omnes ut noxiam & importabilem explodunt. At nos agimus de observatione præceptorum omnibus communium, de quâ dispar est ratio, ut ex dicendis constabit.

84. Deinde Bernardus loquitur de facilitate oneris totius ex suppositione quòd feratur, non ut feratur. Sicut enim onus vitæ religiosæ perfectæ, si exerceatur, levius est onere imperfectorum, qui multa contra suas inclinationes agere coguntur; ita pariter idem onus difficillius est onere imperfectorum, ut feratur. Si enim onus vitæ perfectæ levius & suavius esset ad ferendum, quàm onus vitæ non adeo perfectæ; omnes aut plerique evaderent ferventissimi, nec à proposito perfectæ vitæ toties deficerent. At validè ferventes sunt pauci; plurimi verò à repetito proposito vitæ perfectæ resiliunt. Ergo vita perfectæ est onus grave, ut feratur, & exerceatur; paucitas enim sectantium vitam aliquam, & multitudinem conantium sed in conatu deficientium à vitâ illâ clarè arguit, vitam illam difficilem esse, ut feratur. At nos loquimur de facilitate legis strictè obligantis, non si servetur; sed ut servetur. Ergo Bernardus nobis non adversatur, sed Celladeo repugnat; quia si loquamur de facilitate faciendi totum, opera consiliorum perfectè servatorum (de quibus Bernardus agit) difficiliora sunt, ut serventur, quàm sit pars. Ergo idem de præceptis inferri potest, & debet: Celladeus autem utitur hoc loco, ad probandum oppositum, scilicet quòd totum facilius servetur, si plura servanda adjiciantur, quòd certè & Bernardo. Bernardique doctrinæ hic traditæ repugnat, & adversatur veritati, nisi cum multis limitationibus accipiatur, ut ostensum est.

85. Experientia à Celladeo allata solum probat, observantiam legis reddi faciliorem per constantem & utramque illius custodiam, & multò majus assiliorum exercitium, quàm sit antecedenter ista; quòd verum est, quia per exercitium facilitas aliqua acquiritur, & amplior gratia obtinetur. Verùm hoc nil facit ad præsentem quæstionem de facilitate legis, ut servetur. Jam quòd Religiosi facilius ferant & nova & antiqua onera, quàm antea ferrent antiqua & pauciora, verum quidem est, sed hoc non oritur ab adjectione novorum onerum, ut vult Celladeus, sed aliunde. Inprimis, status religiosus multa auxilia peculiariter annexa habet, quæ ad gratiam vocationis pertinent. Deinde, status ille remouet occasiones peccandi, pluresque legem servandi difficultates arceat, quibus implicantur degentes in sæculo. Tertio, Religiosi tot adjutores, ac correctores habent, quot eis superiores & Patres spirituales præficiuntur, à quibus quâ spe, quâ metu, quâ amore deterrantur à malo, & ad bonum

Bernardus loquitur non de præceptis, quàm de consiliis.

Bernardus loquitur de facilitate oneris, si feratur, non ut feratur.

Quæstio præcis est de levitate oneris, ut feratur.

Experientia probat facilitatē legis, si servetur, non ut servetur.

Facilitas Religiosorum non à novo onere, sed aliud prævenit.



num stimulantur. His de causis facilius est Religiosis simul tam votorum quam totius legis onus ferre, quam saecularibus sola mandata observare; sed haec facilitas a novo votorum onere non procedit; qui enim in saeculo victurus talia vota emitteret, non solum non faciliteret mandatorum observantiam, sed, omnibus inspectis, majori periculo subjaceret, quam saeculares, quia in eisdem cum illis occasionibus versaretur, & tamen multa illi essent illicita, ad quae natura sollicitaret, provocaret exemplum, & occasio alliceret, quae tamen saecularibus essent permessa. Hinc raro suadendum est hominibus in saeculo viventibus, ut talia vota emittant, quia plerumque res ex consilio non succedit, sed illos facti poenitet; quod arguit, talia vota viam salutis illis non facilitare. Per omnia ergo errat Celladeus, qui facilitatem hanc incredibili paradoxo in solam obligationum adjectionem refert.

Lex charitatis omnes obligat, sed non ut vult Celladeus.

86. Ad primam Celladei rationem respondeo, legem quidem charitatis eliciendam ad omnes extendi, non tamen exigere tam fervens & frequens perfectae dilectionis exercitium, quam Celladeus imaginatur. Peto enim ut determinet frequentiam, intensiorem, ac fervorem actuum dilectionis Dei, ad quos praecipuum charitatis directum & per se obligat. Si rationabiliter respondeat, intricatum proprio argumento se sentiet, si obligationem auget, dicatque omnes ad perfectum amoris & contritionis actum saepe quotidie eliciendum obligari; etiamsi non occurrant illae circumstantiae, in quibus communis opinio illam obligationem ponit, gravissimum in homines onus absque sufficienti ratione conjiciet; quia majori hominum parti difficillimum est tam perfectos charitatis actus frequenter elicere. Quamvis enim tale exercitium suave sit, si fiat, non tamen facile est, aut suave ut fiat, quia praeter fidem vivacem, magnamque divinam bonitatis existimationem, multam animi recollectionem, difficultatum omnium contemptum, propriarumque cupiditatum summam aversionem postulat. At ista sunt difficilia, & a paucis in praxim reducuntur. Deinde longe maximam Christianorum partem frequentis peccati mortalis condemnat; constat enim, paucissimos tales actus elicere, cum tamen non pauci ab aliis peccatis mortalibus, Deo opitulante, ita se custodiant, ut in hoc onus valde grave non sentiant. Vel ergo peccant, vel non peccant, illos charitatis actus non eliciendo. Si non peccent, eod quod ignorantia eos excuset; ergo lex non est gravis & importabilis, quamvis homo non se exerceat in frequentibus ac ferventibus actibus charitatis. Ergo facilitas seu non gravitas legis non est charitas, sed aliunde desumitur. Si dicat eos peccare, fortius urgetur, quia si, non obstante hoc peccato, residuum legis non difficulter servetur, profecto facilitas legem servandi a charitatis exercitio non necessario dependet, cum non solum absque illo, sed etiam cum peccaminosa charitatis transgressione perseveret. Ergo qui tale praecipuum charitatis adjungit, non faciliat, sed difficultat observantiam legis totius, cum major spes eluceat servandi residuum, si hoc praecipuum non extaret, quam sit servandi difficile hoc praecipuum cum reliquis. Idem argumentum valet de aliis praecipuis positivis, quae non obligant pro semper.

Qui negant frquentem cilitas legis, non inde sequeretur, facilitatem servandi legem tolli per eos, qui non tam strictam charitatis obligationem ponunt; talis enim

assertio nec tollit, nec impedit fervens ac frequens charitatis exercitium, sed solum docet illud sub praecipuo stricto non cadere. Caterum asserunt illud esse materiam consilii, ad quod omnes hortantur. Certum eximius fervor in omni virtute legem faciliat; nemo tamen dixerit hanc facilitatem auferri, eod quod fervor ille eximius sub praecipuum non cadat. Adhuc enim est materia consilii, ad quod hortamur omnes; ut minorem in lege servanda difficultatem sentiant. Idem valet in casu nostro. Itaque in hac etiam sequela erravit Celladeus.

88. Vel Chrysolostomi, sed non locum citavit Celladeus, unde locum inspicere non licuit, ut genuit i verborum sensum exprimerem. Respondet tamen, quod saepe respectu peculiaris hominis facilius sit servare utrumque, scilicet & non videre & non concupiscere, quam videndo non adulterare in corde; quia saepe parva est difficultas in non aspicienda aliena, qua tamen visa oritur difficultas non concupiscendi. Caterum universaliter loquendo audeat dicere, longe difficilius esse ut fiat utrumque, scilicet ut homines nunquam oculos in alienam conjiciant, & illam non concupiscant quam videndo non concupiscere. Ratio est, quia difficillimum, & respectu communitatis moraliter impossibile est, nunquam cum feminis alienis sermonem habere, aut in eas oculos conjicere, vel contractus ac negotiationes cum eis miscere. Ergo majus onus esset utrumque, quam alterum tantum prohiberi. Et sane si utrumque esset prohibitum, innumera prorsus peccata ex morali necessitate sequerentur, quae non sequuntur de facto, quia unum tantum illorum universaliter prohibetur. Quare in complexo legum non videndum est, quid esset facilius, si una pars servaretur, sed quid sit facilius, ut & illa pars, & reliquae etiam serventur. Sed Celladeus haec non distinguit, & ideo in aequivo- cationes incidit.

89. Quare dico, totam legem una cum considerabili affectu charitatis, qualem Celladeus exprimit, indubitanter esse servatu difficiliorem, quam reliquam legem sine tali affectu, quamvis primum esset facilius, si charitas ita exerceretur. Et sane praxis ipsa hoc esse verum evincit, cum paucissimi ex plebe sint, qui in talibus actibus perfectae charitatis se exercent; cum tamen plurimi illorum a caeteris peccatis mortalibus non aegre se abstineant. Jam raritas in rebus istiusmodi difficultatem arguit, & Celladeus id ipsum ex Hieronymo tanquam certum admittit. Itaque absque dubio peccata multiplicarentur in mundo, si talis esset obligatio charitatis, qualem Celladeus hic insinuat. Sed nonne Patres contrarium dicunt? minime. Illi enim eodem modo loquuntur de ferventi aliarum virtutum ac de charitatis exercitio, quod a Deo non est praescriptum sub praecipuo, sed propositum sub consilio. Difficilius autem est, maxime toti communitati, sequi consilia perfecta ex obligatione, quam legem strictam obligantem servare, & ea solum ex consilio, quae singulis magis arident, adhibere. Praeterea PP. loquuntur de facilitate consequente, & ex suppositione, quod charitas ferventer exerceatur, non autem de facilitate antecedente, ut totum fiat, de qua sola tamen praesens quaestio principaliter procedit.

90. Hoc tamen non obstante, admitto totum complexum legis, involvendo moderatam illam charitatis obligationem, quam communis graviorum Theologorum sententia statuit, esse

Celladeus confundit facilitatem antecedentem cum consequente.

Obligatio charitatis, qualem Celladeus ponit legem redderet difficiliorem.

Moderata charitatis obligatio reddere potest totam legem facti servatorem.



servatu facilius, etiam respectu communitatis, quam esset residuum legis, si obligatio charitatis prorsus cessaret. Ratio est, quia Deus, qui omnium vires & propensiones comprehendit, potuit legem condere, quae tota simul sumpta esset servatu facilius, quam pars reliqua, si praeceptum charitatis, utpote nobilissimum & ad Dei praestantissimum cultum immediatè spectans, tolleretur. Ergo credibile est, eum ita de facto sua praecepta in lege gratiae constituisse; quia hoc ipsi gloriosius, & nobis utilius est, quam si aliter legem instituisset.

Ratio probans idipsu.

91. Praeterea ratio id ipsum confirmat, quia moderata illa charitatis obligatio non est adeo difficilis, ut servetur. Non enim difficile est Deum propter se diligere, quando ejus bonitas proponitur, & nulla gravis tentatio in contrarium urget. At omnes, qui mediocrem salutis curam gerunt, saepe versantur in tali dispositione. Ergo non est illis valde difficile Deum aliquoties ex charitatis affectu diligere. Ergo lex ista non est difficilis ut servetur. Rursus, si servetur, multum faciliat ad alia, quia ex una parte nimum in bono figit per fortissimum propositum in potentissimo ac suavissimo motivo fundatum: & ex alia parte uberiora gratiae auxilia secum fert ad alia in posterum servanda, quam cuiusvis alterius virtutis exercitium. Nec sufficeret, si hoc charitatis exercitium solum sub consilio proponeretur, quia homines tunc pigriores essent ad aliud frequentandum, quam stante praecepto, ut videre est in aliis materiis v. g. in auditione Missae, &c. Ergo si charitatis exercitium nunquam esset praeceptum, homines rarissime illud frequentarent, & consequenter illis privarentur auxiliis, quibus perfecti Dei amatores fortificantur, atque ita ad reliqua praecepta servanda debiliores efficerentur. Itaque omnibus inspe-

Ista facilitas non per se, sed per accidens oritur ab obligatione charitatis.

ctis, fateor, legem Christi ita institutam esse, ut illa per accidens evaderet aliquanto difficilior, si praeceptum charitatis tolleretur. Per accidens, inquam, quia major illa difficultas hominum tepiditati, non rebus praeceptis tribueretur; si enim homines in eo casu aequè ferventer ac frequenter diligenter Deum ex consilio, sicut nunc faciunt, stante praecepto, lex illis tam facilis esset, quam de facto est nobis. Fieri enim nequit, ut ex ipsa praecise obligationum multiplicata facilitas omnia servandi crescat per se, cum eadem praestari possent sine obligatione, per quae facilitas servandi alia supponitur conferri. Proinde errat Celladeus, qui contendit, ipsam legum additionem esse propriam causam, ex qua facilitas observandi totam legem per se dependet.

Moderata obligatio orandi per accidens reddit totam legem observatu faciliorem.

92. Ad illud ex Tridentino de necessitate orandi Deum pro auxiliis, quibus indigemus, fateor ordinem à Deo statutum per nostras opiniones alterari non posse; quare ultrò concedo, homines, qui in occasionibus à Deo stabilitis ad Deum per orationem non recurrunt, saepe egere auxiliis, sine quibus observatio legis admodum difficilis redditur. Nihilominus ex opinionibus fieri potest per accidens, ut homo non peccet novo peccato, quamvis hic & nunc non oret, quando per se loquendo tenebatur orare. His positis, quaeres, an lex tota esset facilius observatu, ablato quam posito orationis praecepto? Respondeo eodem modo, sicut proximè respondi ad similem quaestionem de obligatione charitatis; nempe moderatam orandi obligationem (qualem communis graviorum Theologorum opinio statuit) efficere saltem per accidens, ut

tota lex facilius sit, quam si nulla foret ejusmodi obligatio. Ratio est eadem, quia tale praeceptum facile servatur, servata autem, plurima ad alias leges servandas auxilia impetrat. Ceterum si orandi fervor, continuatio, & assiduitas (ad quas argumentum Celladei collimat) essent praeceptae, haud dubiè lex evaderet observatu difficilior, quam est; quia licet praeceptum illud orandi, si impleteretur, reliquorum observationem faciliteret, tamen quia difficillimum esset illud ipsum orandi praeceptum implere, pauci illud impleverunt. Rursus post illud impletum, adhuc reliqua essent difficilia, & multi in illis deficerent. Ergo tunc tota lex esset difficilior, quam nunc.

### NONNULLA CELLADEI dicta redarguuntur.

93. SOLUTIS argumentis, notanda & arguenda sunt nonnulla, quae in discursu Celladei displicent. Primum est, quod falsò supponat, orationem, in gravi necessitate ac tentatione adhibendam, non inasuetis tantum, sed etiam sedulo orare assuetis esse valde difficilem. Certè per talem obligationem lex non faciliteretur, sed difficilior evaderet, ut ex proximè dictis constat. Nec obstat, orationem, quae salus aeterna & perseverantia finalis petitur, multa requirere, ut effectum infallibiliter obtineat; ideo enim difficile est talem orationem adhibere, & pauci sunt etiam ex diligentioribus, qui vi suae orationis salutem infallibiliter consequuntur. Unde sequitur, talem orationem sub praeceptum non cadere; quod enim adeo difficile est, ut raro fiat etiam à diligentioribus, non est materia praecepti, sed consilii; si enim talis oratio esset praecepta, vix ullus salvaretur, cum vix ullus ita oret. Itaque tale praeceptum, si daretur, non faciliteret observantiam legis, sed innumera peccata multiplicaret, redderetque salutem respectu multitudinis seu communitatis moraliter inaccessibilem.

Oratio, in gravi necessitate praecepta, non est valde difficilis.

94. Idem dicendum de oratione necessaria ac praecepta ad impetranda auxilia, quando magna difficultas ingruit; si enim illa tot tamque difficiles conditiones requireret, ut in orandi studio diligentissimis, etiam extra vehementis tentationis impedimenta constitutis, esset difficilis, ex hoc ipso sequeretur, talem orationem non esse praeceptam, quia esset onus, quod à communitate ferri non posset. Et sanè tale praeceptum vix ad aliud, quam ad peccata multiplicanda, & salutem impediendam deserviret. Ergo deobligare ab oratione ejusmodi, & multò magis à valde frequenti illius exercitio, est reddere legem observatu faciliorem; obligare autem ad illam, est legem facere à communitate moraliter importabilem.

Nec requirit tot conditiones quot Celladeus indicat.

95. Existimo ergo, omnem fidelem Christianum, maxime justificatum, in necessitate constitutum à Deo exaudiri, si juxta graviorum Theologorum praescriptum fideliter petat adiutorium, quo simpliciter indiget. Ratio est multiplex. Inprimis severior obligatio respectu communitatis videtur intolerabilis. Secundo, Tridentinum nullas conditiones apponit orationi, quae inuit auxilia necessaria esse petenda & obtinenda. Quis ergo audebit plures ac difficillimas conditiones apponere, ac asserere orationem aliter factam non sufficere? Certè hoc alienum est

Fidelis gratia petito in necessitate sufficiens auxilium impetrat.



est à mente Concilii, quod media illa proponendo intendebat ostendere, mandata Dei non solum non esse impossibilia, sed etiam simpliciter levia. Tertiò, ea est Dei misericordia, ut saepe contentus sit actibus imperfectis ad impetrandum quod postulat. Voces illæ Apostolorum Matth. 8. 25. Domine, salva nos, perimus: sicut & illæ Petri. Matth. 14. 30. Domine salvum me fac: effectum impetrarunt, etsi Christus eos ob modicam fidem reprehenderit. Sed & illa oratio patris offerentis filium Dæmoniaco Marci 9. 23. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam, imitanda est à tentatis circa fidem; nec dubium videtur, quin tales orationes fideliter & fidenter probatæ adiutorium sufficiens sint impetraturæ. Deus enim cognovit figmentum nostrum, & fragilitati nostræ compatiatur, nec facientis quod in se est, denegat gratiam. Homo verò fragilis, angustis ac tentationibus implicitus, si modo dicto oret, censetur facere quod potest, ideoque Deus illum non deserit, sed auxilium sufficiens benignè largitur. Hoc enim suadet, & summa Dei benignitas, & copiosa Christi redemptio, atque humana imbecillitas id postulat. Hoc tamen non obstat, quò minus Deus plus exigit à perfectis, quam ab imperfectis & orare non assuetis; quia plus meritò exigitur ab eo, qui plus accepit.

Sæpe oratio iteranda est in eadem tentatione vel necessitate.

96. Et sanè homini fideli, salutisque suæ cupido, atque in angustis deprehensio, non adeo difficile est ad Deum recurrere, à quo solo creditur remedium posse subministrari, quemque sibi haud defuturum sperat. Nec tamen existimes, homini sufficere si semel oraverit; invocatio enim Dei, & petitio hujusmodi iterandæ sunt, quando aut prior tentatio perseverat, aut nova ingruit. Determinare autem in particulari, quæ & quanta sit obligatio orandi, & quando ac quoties urgeat, difficillimum est, nec quaestio præfens postulat id hoc loco determinari. Hoc solum dicendum est, obligationem illam esse debere moderatam, juxta meliorum Theologorum præscriptum, non verò tot tamque difficilibus & frequentiter repetitis circumstantiis difficultari, quot Celladeus exigit, quia hac ratione lex respectu communitatis evaderet importabilis, quæ tamen per alteram opinionem cernitur esse facilis.

Obligatio orandi frequentius urget, quam obligatio charitatis.

97. Cæterùm obligatio orandi frequentius urget, quam obligatio perfectæ charitatis, quia facile est frequenter orare, cum difficile sit Deum super omnia frequenter diligere. Rursus frequens oratio plura impetrat auxilia, quam oratio minus frequens. Nec tamen ideo frequenter orantes eximuntur à communi obligatione orandi, quando gravissima adest aut imminet tentatio. Quo posito, ruit quidquid Celladeus opponit. Non enim durissimum est, hominem moderatè suis temporibus orantem, iterum obligari ad orandum, quando vehemens urget tentatio; hoc enim commune est etiam iis, qui multum se in oratione exercent, & absque magna difficultate perficitur ut oportet. Nos ergo non

statuimus duo onera gravissima ferenda, quando homo tantum non labitur sub uno, sed unum leve ponimus, quo alterum onus plurimum minuitur. Ille verò duo gravissima statuit, nempe non cedete tentationi, & orare cum circumstantiis à se requisitis, quòd adeo difficile est, ut paucissimi unquam ita orent; quo uno omnes ferme homines continui peccati mortalis absque fundamento condemnat. Ergo sententia Celladei non benigna, sed rigidissima est; utpotè quæ vires communitatis superat, & caelum hominibus obstruit.

98. Idem de aliis opinionibus ad peccandi occasionem pertinentibus dicendum est; illæ enim, quæ juxta qualitatem rerum moderatam & rationabilem tantum obligationem ponunt, (qualem communis gravissimorum Doctorum sententia statuit) verè sunt benignæ, non durissimæ; quamvis, teste experientia, saepe contingat, homines illis utentes denuò labi. E contrario oppositæ sententiæ dicuntur & verè sunt rigidæ; quamvis enim facilitarent observationem alterius præcepti, si observarentur, sunt tamen observatu adeo difficiles, ut paucissimi illas observarent, quamvis essent præceptæ; sed in duplici peccato fordescerent; hominesque, omnibus inspectis, ex quadam necessitate plura peccata committerent; quàm committant de facto; stante moderato obligationum rigore.

Opiniones Celladei sunt rigidissimæ; illæ, quæ taxat, sunt benignæ.

99. Secundus Celladei error circa materiam præsentem in eo vertitur, quòd cum videret consiliorum observationem onus legis plurimum facilitare, intulit, congruum fore, si illa etiam præciperebantur. Verùm in hoc confudit id, quod est facile simpliciter, cum eo quod est facile ex suppositione, quæ duo toto cælo differunt; maxime in casu nostro, in quo difficillimum est, ut suppositio purificetur. Præterea, ea est consiliorum natura, ut toti communitati præcipi non possint, quia magnam perfectionem continent, cujus obtinendæ ob rei difficultatem tota communitas non est capax. Præclare in hanc rem dixit Cardinalis Pallavicinus 1. 2. disp. 9. quæst. 4. art. 2. num. 12. In condenda lege quaerendum est optimum, sed optimum in jubendo, non optimum in faciendo; lex enim, per quam juberemur facere omnia optima, esset pessima, & inobservabilis, ac perpetua causa peccati & damnationis. Hæc ille, quibus alludit ad communem doctrinam, quòd leges debeant esse utiles, & moraliter à communitate observabiles. Tales non essent leges præcipientes optima, quia plura secum ferrent mala quàm commoda, & ob summam difficultatem à communitate moraliter loquendo observari non possent. Hæc cogitet Celladeus, videbitque sententias, quas falsò rigidissimas appellat, benignas esse non rigidas; è contrario autem rigidas illas, quas pro benignis venditat, verè esse rigidissimas, & moraliter inobservabiles; inter omnes autem perspicit, sententiam suam reflexam esse onus durissimum, legemque Dei difficillimam reddere, & moraliter à communitate inobservabilem.

L

QUÆ